JANI HELVETII

POËMATA,

EDENTE

LAVR. SANTENIO.

LVGDVNI BATAVORVM
APVD PETRVM PLVYGERS,
MDCCLXXXII.

Ante diem Helvetius mihi funere raptus acerbo
Innumeras dotes in sua busta tulit:
Non aures latiique tenent grajique lepores,
Et lyra Lesboo pectine pulsa silet.

PETRUS BURMANNUS SECUNDUS.

Poëm. lib. IV. *p.* 485.

A D

JOACHIMVM RENDORP, Cos.

MARQVETTAE DOMINVM.

C*ernis, ut audenti accedam tua limina gressu,*
Importans Latia carmina ducta chely?
HELVETIVS *rarae quae carmina condidit artis,*
Nomine, si fas est, nunc tibi sacra meo.
Ille pio vivus me dignabatur amore,
Testatum extremis quod voluit tabulis;
Tutelam et sobolis moriens mandavit amico,
Diffluere has venae qui probiberet opes.

Cernis, ut haud trepidem conscendere Consulis aedes,
Munus honoratae nec leve ferre togae?
Quippe bono Musas, quo cives, excipis ore.
Hinc tibi turba frequens utraque limen adit.
Ante tuum expertus quin glorior ipse favorem:
Non minima est magnis laus placuisse viris.
Dictat adulandi nec enim mihi scripta libido.
Pïëridum fructu non ego castra colo.
Me juvat et, patriam qui devinxere merendo,
Praesidium doctis quique fuere choris,
Me juvat orturis praeclara nepotibus acta
Tradere; scripta leget si modo nostra nepos.
Ah valeat! quicunque aliorum deprimit artes,
Et non plus unam si quis amare potest.
Parvi parva petunt; animi haec mensura pusilli;
Non, non angusti pectoris illud opus.

Magna

Magna per immensos graditur mens libera campos,
Et Doctrinarum suspicit omne genus.
Quicquid et ingenio vel moribus utile praebent,
Condat ut in privos, colligit inde, sinus.
Dives, et innumeris resplendens dotibus unde
Exit, Erythraeo ut Phosphorus Oceano,
Pastave apis vernae nullis non floribus Hyblae,
Quae casiamque, rosasque et meliloton olet.
Exemplum, JOACHIME, *grave es; nam, prima secures*
Hollando ut dederit Vrbs in honore tibi;
Vt tibi tota fluat curis civilibus aetas,
Hora tibi a nostra nulla salute vacet;
Rem lege emendes, lingua tutere, Batavam,
Moribus exemplo conciliesque decus;
Vt domitor fraudis, melioris temporis auctor,
Restituas Belgis aurea secla tuis;

Te patrio juvet eloquio vim quaerere dictis,
Omnia quae Pallas, omnia Suada probat;
Quicquid et elapſis, ſcrutere, Batavia luſtris
Aut legum, aut ritûs, ora beata, dedit;
Juſtum Dictynnae finem ſcripſiſſe ſagittis
Nobilis, et Martis jus poſuiſſe foro;
Non tamen Auſonias, non aſpernare Camoenas;
Has etiam, cunctis Artibus aequus, amas.
Pulchraque quae ſuperant aevi monumenta vetuſti
Miraris, Latium, Graecia ſive tulit.
Teſtis, qui mundam tibi mulcet Horatius aurem;
Vnde petis terſo, Tullius, ore loqui.
Itala magnificos tellus quae ceſſit in hortos
Teſtis, et exactae marmore et aere manus;
Hic lapis Heroas, lapis exhibet ora Sophorum,
Sculpta vel hic priſcas daedala gemma notas;

Hic Polycletei ſpirant miracula caeli,

Dextraque Phidiacum vivere jusſit ebur.

HELVETIVS *viridi hic tecum ſpatietur in umbra,*

Ad latus in ſcamnis adſideatve, rogo;

Lasſatum quoties curis gravioribus Vrbis,

Te reficit blando ſplendida villa ſinu.

Non erit antiquis Heroïbus ille rubori,

Non indigna tuis auribus ille ſonat.

Non hic invenies ſervilis pignora mentis,

Non ſenſu anguſtos, carmen inerme, modos.

Gratia verborum, rerumque hic pondera certant;

Libertas aliud non queat ipſa loqui.

Fors, puer os tenerum Gulielmus geſtiet olim

Formari his animos carminibusque mares,

Perque domum haec totam reſonabit, perque vireta,

Et repetenda tuas, Ya, docebit aquas.

Tu modo facundi ne ſperne poëmata vatis;

Sitque patrocinio tuta Thalia tuo!

LAVR. SANTENIVS.

Dabam LEIDÂ, Kal.
Febr. MDCCLXXXII.



IN

JANI HELVETII POËMATA LATINA, AD LAVRENTIVM SANTENIVM, EDITOREM.

Salvete, HELVETII, mei sodalis
Heu quondam! Aonio liquore tinctae,
Tinctae nectare paginae Latino;
Salvete, auspiciis foras secundis,
Quo dudum vocat eruditus orbis,
Quo Phoebus vocat et novem Camenae,
Cura SANTENII mei exeuntes.
Vos quantum est hominum elegantiorum,
Has qui delicias amant, suoque,
Vt par est, pretio aestimare norunt,
Arreptas avide legit libenter,
Et lectas releget, legetque rursus,
Dum tot blanditias, sales, lepores,

Tot lusus genii benignioris,
Tot cupedia lauta devorarit.
Et tu, dulce caput, venuste noster,
Qui par HELVETIO tuo meoque
Mulces Ausonias et ipse chordas,
Macte esto hac opera: tuo labori
Applaudentibus omnibus peritis,
Quam debent tibi, gratiam reportas.

JANVS GROTIVS.

VIRO ET POËTAE DOCTISSIMO

LAVRENTIO VAN SANTEN,

Jani Helvetii carmina edere paranti.

Qualiter, Odrysiis Orpheus in montibus olim
Quum periit furiis, Bacchica turba, tuis,
Pierides cari citharae narrantur alumni
Summa dedisse inter sidera habere locum;

Sic

Sic quoque, SANTENE, HELVETII monumenta poëtae
  Vincere fatorum dat tua dextra vices;
HELVETII monumenta, feras et ferrea ſaxa
  Non minus Orphea nata movere chely;
Inclyta ſive tuae referens miracula gentis
  Surgeret in laudes, terra Britanna, tuas;
Sive gravis Batava pro Libertate tonaret,
  Inque poteſtatem cuncta regentis heri;
Seu defunctorum lamentaretur ad urnas,
  Ferret Apollineos ſeu ſuper aſtra viros.
Omnia quae, pasſim diſperſa, inhonora jacebant,
  Et ſine te ſpisſa nocte ſepulta forent.
Officium, SANTENE, tuum laudoque proboque;
  Et melius, quam te, quem decet iſte labor?
Tu mage fraterna vivum pietate colebas,
  Inque vicem te non carior alter erat.
Adde quod Aonidum ſectari caſtra ſororum
  Vngue tibi a tenero maxima cura fuit;
Et Romanorum Grajûmque ante omnia vatum
  Non delaſſata volvere ſcripta manu.
Horum calcantem veſtigia nobilis ardor
  Te vehit ad Clarii culmina ſumma jugi.

Et Latias felix moderari pollice chordas
  Ingenii profers ſe ſuperantis opes.
Teſtis legitimis tecum ſocianda hymenaeis
  Ida, puellaris laus ſpecioſa chori;
Ida, tuis numeris jam circumvecta per oras,
  Quas oriens Titan occiduusque videt;
Ida, nihil cedens Idae, vox enthea Douzae
  Nordvicum docuit quam reſonare nemus.
Hinc tua praecinxit viridanti tempora lauro
  Phoebus, et Idaliae frondis honore Venus.
Sed tamen haud geminam contentus ferre coronam,
  Et propriis tantum vivere carminibus,
Servatum titulis voluiſti accedere vatem,
  Addere et ornatis civica ſerta comis.
Macte tua pietate! tibi de vertice Pindi
  Caſtalides plaudunt Caſtalidumque Deus.
Quotquot et Aonio ſtimulantur numine, grates
  Nomine totius poſteritatis agunt.
Scilicet HELVETII, dubium, plus debeat umbra,
  An plus officio poſtera turba tuo.

J. H. HOEVFFT.

MDCCLXXXVII.

IN

STATUAM

ISAACO NEWTONO

CANTABRIGIAE

IN AEDE SODALITII SS. TRINITATIS,

A

ROBERTO SMITH,

ERECTAM.

Indigetis ſpecies, Genii ſpirantis imago
 Juſta, Robilliaci grande caloris opus;
Harmonies coeleſte jubar, lex ultima Pulcri;
 Artificis dextrae non imitande labor;
Phidiaci felix miracula vincere caeli,
 Orbis in extremum vivere juſſe diem;
Haec Smitthus tibi templa dedit, mundique ſtupentis
 Marmore conſpicuum ferre per ora decus.
Fas erat hos auxiſſe tholos; hinc lucida coecis,
 Hoc duce, quem reddis, mentibus orta dies;
Oceanique labor duplex, convexaque Phoebi
 Illicis alternam terra popoſcit opem;

A Lux-

Luxque ſuas jaculata faces, Numeroque Fluenti
Temporis aut Spatii tramite nulla quies.
Te pietas hic grata dicat, te cura nepotis
Et patriae, et patrii magnus Honoris Amor.
Te pubes incenſa colat, ſocioque Deorum
Monſtratum Veri currere diſcat iter.
Te ſonet attonitis animoſa Britannia ſeclis,
Te Britonum invideat laudibus omnis humus.
Ut noſtrae nil ſordis ineſt! ut ſidera ſervas!
Ut faciem coeli cuncta tuentis habes!
Ut ſibi cryſtalli, dextros ſinuatus in arcus,
Nativo varius ridet honore Color!
Ars Vero nunc digna fuit, victrixque priorum
Materiem forma ſumma decente tulit.
Ultra hominem tutique vias abrepta, Tonantis
Mortalem domino reddidit ore manus;
Mutatasque vices rerum, coelumque ſubactum
Condita terrigenae jura ſubire viro.
Priſca Deos formis mortalibus obruit aetas,
NEWTONO melior Numinis ora dedit.

SEBALDO RAVIO,

L. L. O. O. PROFESSIONEM

SOLLEMNI ORATIONE

AUSPICANTI.

Exſere Erythraeo radiatos flumine vultus,
  Delie: ſidereas exſere, Phoebe, faces.
Intonſi Tyrio deſtillent rore capilli,
  Et fulgore novo flammeus orbis eat.
Qualem te Tellus tenebris emiſſa recentem
  Hauſit, ad inſuetas emicuitque faces.
Qualis ad Actiacas domitus cum Nilus arenas,
  Victorique dedit barbara terga Deo.
Aut quales placidi fulſerunt Numinis ignes,
  Detracta Auſonio cum mala larva gregi.
RAVIUS, Aönii ſpirans Genitoris imago,
  RAVIUS, Aönio lucida ſtella choro,

Exſerit aurato Muſis jubar orbe ſecundum,
  Et velut optatos, et ſine nube dies.
Exſere, Phoebe, faces, non hac tibi laetior umquam
  Phoebe dies ſacra luce rigata fuit.
Illa velut geminum mundo jubar; aemula cernit
  Emicuiſſe tuis lumina luminibus.
Quod tu per coelos, docto mox RAVIUS orbe
  Nomen erit, claros inter honorus avos.
Utque tibi, qua purpureos agis aureus axes,
  Lucenti ſignat tramite currus iter.
At nocturna ſtrygesque cohors buboque profanus,
  Praecipiti rapiunt lurida membra fuga;
Et quaecumque vagis fallentia ſomnia formis
  Pallida nox udo furva fovet gremio.
Sic lumen quacumque via vehit ille coruſcum
  Diffugiunt nubes, diffugiunt tenebrae.
Jam fera barbaries Stygiis caput occulit antris,
  Et nitet Eoo purior orbe dies.
Jam reſerata patent veteris penetralia Linguae.
  Quantas illa ferunt limina divitias!
Praetulerim quas, Croeſe, tuis; tibi dives arenis
  Lydius aurato fluxit honore latex;

Quas-

Quasque ſub umbroſae recubantia culmine rupis
Texere intonsi Delphica regna Dei;
Gallica Theſſalicas Brennus rapit arma per urbes
Sacrilegoque ſacras enſe petebat opes,
Vindicat arcitenens divinas turbine ſedes,
Raptoresque gravi pondere ſaxa premunt.
Has praedo Ledonaeus opes ſpoliaverat olim,
Cum ſacra Æmathio laurea ſumta Duci;
Aſt haec ſponte patent, aditusque benigna recludunt,
Inque ſuas gazas ditia tecta vocant.
Hic ſolio, Jeſſaee, viges, citharaque; cothurno
Jobus, et Eſaiae nomine ſurgit opus;
Amramidesque ſacer Nabathaeas victor ad undas,
Merſa Paraetonii dum perit ira Ducis.
Salve Myſta ſacer, regum idem maxime, ſalve,
Collocat in celſo quem Deus ipſe jugo.
Teque agri, verſique agri fulgente tiara,
Divinusque lyrae nobilitavit honos,
Virtutis ſublime decus, belloque togaque
Clarus et eloquii prodigialis apex.
Enthea cui totis inſedit ſuada medullis,
Et labia infecit nectare blanda Venus;

Nec peregrina tamen, ſpecie ſed pura, natatque
  Qualis in Eoo candida Diva mari.
Dircaeus tibi cedit olor: tua carmina caeci
  Obſtupuere ſenis, deficiuntque modi.
Et quot Achaea tulit, quot Cecropis ora poëtas,
  Et Roma, et Pharii diruta regna ſenis.
Exſere ruderibus celſum caput, exſere, Idume!
  Iſte tuo vivax germine crevit honos.
Scilicet hoc veteri ſupereſt de culmine laudis,
  Ferrea mors, pallens cetera noxque tenet;
Bellonaeque furor dirus flammaeque rapaces,
  Et fuga falciferi ſaeva tulere ſenis.
Haec quoque vix aevò celeri tenebrisque ſuperſunt,
  Raptaque ſupremis vix monumenta rogis.
Quaeque ſuperfuerant alias inſcitia gazas
  Perdidit, Eous barbariaeque furor.
Victa ſitu turpi, tenebrisque inmerſa jacebant,
  Raptaque millenis ſparſaque membra locis.
Oraque foeta favis olim, miſſove cothurno
  Fulmine, crudeli et dilaniata lue:
Omnia erant luxata, atque omnia conturbata,
  Nilque, chaos caecum cernere praeter erat.

Non tulit hoc, doctamque manum tibi Ravia Musa
Commodat, et grato subvenit auxilio.
Jamque pius cineresque sacros, longumque cadaver,
Fletaque restincto colligit ossa rogo.
Divulsosque artus jungit, disjectaque membra,
Ut vegeto nexu surgere cuncta queant;
Qualem olim Actaeum juvenem Neptunius heros;
Sparsum illi toto corpore vulnus erat.
Ast Phoebesque Deae studiis, et Phoebigenae arte,
Composito antiquum fulsit in ore decus.
Et nunc ipse Deos inter celebratur, et aevum
Exigit Albano Virbius in nemore.
Mollia Germanae vestro date serta statori,
Pisaeusque viri tempora velet honos;
Nexaque sublimi consurgat vertice quercus,
Servatis quondam civibus illa decus.
Tuque adeo, aetatis vernanti in limine adesse
Fama cui titulis incipit aequa novis;
Clare vir, et clari dignissime nominis haeres,
Ultimaque invictis gloria Teutonibus;
Accipe, tacta levi quae dat mihi pectine chorda,
Dum novus in titulos additur alter apex.

Parva damus, fateor; ſint et licet usque; puſillos
Tu precor, at facili ſuſcipe mente modos.
Nam neque ſaeva Jovis Cous ſonet arma Philetas,
Sumtaque terrigenis in Jovis arma domos.
Nec memorare meae valeant Tua, Magne, Camoenae
Nomina, Thebanâ commemoranda lyrâ.
Quae jam Fama triumphali vehit aethere pennâ,
Diverſisque canunt aera recurva plagis.
Qua Phoebi radiisque rubet propioribus Eos,
Quaque rigant feſſas coerula regna rotas.
Mnemoſyne ipſa tuae peragit praeconia vitae,
Sidereisque ſacrat nomina fixa tholis.
Nam medio eſt via verſa polo, niveusque per aſtra
Trames, et argento zona coruſca micat.
Heroum ſpatioſa domus, quos lucidus aether
Irrigat, et puro lumine veſtit Honos.
Scaliger eſt illic, et magni Grotius oris,
Erpeniaeque comes Golia Muſa venit;
Salmaſiaeque ingens, Aſſemanaeque Bochartus,
Vittatisque ſonant nomina clara choris.
Quique tibi famae conſors, generisque, tropaea
Primus ab Eoo RAVIUS axe tulit.

Cel-

Celſior at cunctis ſumma Schultenſius arce
  Emicat, et clarum ſpargit ubique jubar.
Addite quos inter meritis, SEBALDE, perennans,
  Per ventura ſacrum ſaecula nomen habe.
Plaudit ovansque Tibi tumulis Solyme, et bene, dicit,
  Conſuluit Muſis RAVIA Muſa meis.

PETRO HINLOPEN,

Doctori Medico renunciato.

Eſt aliquid medicas coluisſe fideliter artes
  Et patriae priſcum continuaſſe decus;
Eſt aliquid caſtae juvenem placuiſſe Minervae
  Pergameumque ſibi demeruiſſe Deum.
Haec fuit una tuo ſanctisſima cura labori,
  Perſtat et exemplo non ſtimulatus amor.

Auctoris qua laude nitet victura papyrus,
  Et multum ingenii, nec minus artis habet.
Nec flammis Hygiea tuis (non mollior ulla est,)
  Defuit, effusas destituitve preces.
Ipsa tuis dudum conatibus adstitit, omni
  Adfuit et blandae numine cura Deae.
Jamque paris dat signa tibi mansura caloris
  Annuit et Coa surgere ab arte decus.
Adspicis? en lauro morbosque fugantibus herbis
  Cingere dilectum gestit amica caput.
Et mites oleas et olentia germina spargit,
  Collibus, Ida tuis lecta, Epidaure tuis.
Quam bene vulgares haec vincit adorea palmas,
  Virtutique refert praemia Diva tuae.
Quam bene spondebat, quae nunc Dea munera reddit,
  Munera inexhausto digna labore peti.
Quam bene sperabas meritae bene conscius, ambit
  Quae nunc Paeonio laurus honore caput!
Quam bene venturas portendit adorea lauros,
  Quisque recens surgas, omina parta dedit!
Incipe par, Juvenis, majoribus esse triumphis,
  Inque novae laudis disce venire decus.

Au-

Auſpicioque recens heroibus addite priſcis
Furva Machaonia frangere regna manu.
Qualis laeta ſui mox plaudet Hygeia triumphis
Vindicis et medica blanda favebit ope!
Dum Febres, Tabesque vorax, Pallorque, rapaxque
Mors fugient celeri, lurida turba, pede.
Felicem! ignava vulgi cui tabe remoto
Mens bona dat puro lumine poſſe frui.
Quem ſuavis, veroque ſacrum mens una, laborque
Blandaque victuri nominis aura levat.
Quem morbis tot preſſa movet fors aſpera gentis,
Et tot in obſcoenam funera rapta ratem,
Scilicet aeternos tulit hac HARVAEUS honores,
Attigit ardentes BORHAVIUSQUE domos.
Hac quoque, quo Gottinga prius, nunc Berna recepto
Emicat, immenſum, maxime, nomen habes.
Non alio vel calle recens HINLOPIA ſurgit
Gloria, nec veteres degeneravit avos.
Mox etiam quo nunc nova ſurgit ab auſpice princeps
Ibit Apollineo conſpicienda grege.
Nec minus illa tui noteſcet fama laboris,
Quam fuerunt Coi nomina clara ſenis.

Tunc

Tunc ego, qui primos laetus nunc grator honores,
  Aucta canam titulis parta tropaea novis.
Quasque modo angusto tenuavi pectore, summas
  Pectine post laudes nobiliore canam.
Sic eat; et nostrae nuper fax clara juventae
  Exemplum Batavae posteritatis erit.

D. M.

PETRI HINLOPEN.

Sodalis dulcissimi.

Ergo erat, ut rapido daret atra ferociter ictu
  Gaudia Mors tristi nostra ferenda rogo?
Ergo erat, ut, laetos caro meditata sodali,
  Iret in invitos moesta Camoena sonos?
Et fera Nox dum, PETRE, Tuis gravis incubat annis,
  Mutaque Te duro pondere busta premunt,
Et premit immeritum Nox multi furva soporis,
  Nil miserae superat, praeter inane queri?

Hoc

Hoc quoque vix ſuperat; furit imis cura medullis,
Et lyra tam duro vulnere fracta ſilet;
Et quoties numeros, conſuetaque carmina tento,
Pro numeris moeſtae defluit imber aquae;
Aut, ſi qui veniunt, languent, ſpeciemque veterni,
Et multum venae deficientis habent.
Et quis miratur, quod ſit mihi tarda Thalia,
Et tenuis noſtro ſurgat in ore ſonus,
Cum ſit tanta, piis quae nunc gravis ignibus inſtat,
Illa ſodalitii nota ruina mei?
Cum jaceat ſurda aeternum, qua ſaepe ſolebat
Noſtra chelys faciles exigere aure ſonos?
Sed tamen abjectae quodcunque ex ore Camoenae
Fluxerit, hoc cineri ſerviat omne pio;
Ut noſtris recreata modis pia geſtiat umbra,
Major et a duris exſerat ora rogis.
Ut bona poſteritas, (noſtrum tamen illa dolorem
Si leget, aut Muſae ſurget amica meae.)
Aequa Viri meritis, tam docti fata ſodalis
Teſtetur lacrimas emeruiſſe pias,
Et me poſt cineres, properataque funera, laudet,
Antiquam Socio continuaſſe fidem.

Sic

Sic eat, inmitis noſtro licet usque calori,
  Urgeat inmeritum trux Libitina caput,
Non tamen extremos totum Te miſit in ignes
  Illa, vel ignavis merget avara vadis.
Nam tumulos Tibi ſanctus amor, fatique furores,
  Regnaque Avernalis rumpet opaca Dei;
Ad cineresque ſacros Panchaeos ponet honores
  Annuus, et tumulum religione colet,
Et tua victuris intexet funera chartis,
  Nomen ab infernis quae tueantur aquis.
Scilicet hoc ſupereſt, quod amico moeſta ſupremum
  Officii pignus praeſtet amica manus;
Una, ſed infauſto quam dura medela dolori!
  Hei mihi! ſtat quali pignere noſter amor!
Felices ter! praeſenti fudiſſe ſodali
  Communis lacrimas urbs quibus una dedit!
Quos potuiſſe juvat longi dare ſigna caloris,
  Et tenuit dextrae deficientis amor.
At mihi non vidiſſe datum; non taedia diri,
  Aſſiduum ſocio, fallere poſſe mali.
Non morbum ſuccis domitura ſalubribus, aegro
  Pharmaca ſollicita porrigere apta manu.

Non

Non animam errantem gelidis legiſſe labellis,
Dicere nec fracto murmure, cara vale.
Non miſeram moeſta mortem componere pompa,
Aut legere exſtinctis oſſa minuta rogis.
Raptus es abſenti, fora dum clamoſa, pericli
Heu male ſecuro culta, morantur iter.
Nam quis tam ſubitum putet impendere ruinam,
Et fore, quae moeſtus buſta queratur amor?
Cum vigor, atque aevi multo ſaturata virentis
Robore, et in firmo corpore firma ſalus,
Nec ſaeclo contacta ſuo mens, ſtamina longum
Sponderent facili continuanda colo?
Et tamen ille jaces, noſtri miſerabile luctus
Pignus, honorati longa querela laris!
Oſtendêre Tuis Te tantum fata; parantem
Saecula terribilis occupat ira Deae.
Nam modo qualis eras! ſtudio quae parta ſagaci
Gloria, qui Coae creverat artis honos!
Ut modo ſpondebat praeclaro juſta labori
Praemia, et aeternum Fama benigna decus!
Ut modo Mnemoſynes ſublimem inferre parabat
Hippocratis medium, Borhaviique, tholo!

Cum

Cum fera Mors fubito tantos intercipit actus,
Laetaque tot medio germina flore fecat.
Talis, ab infanis Aquilonibus actus, amoeni
Floris honos vernis defluit arboribus.
Sic horto moerente jacent violaria, nuper
Blanda, fub aeftivo cum tepuere Noto.
Ah! furor eft, doctas famam tentare per artes,
Atque animum ftudiis excoluiffe bonis,
Et lucis fperare moram! nempe, optimus, Orci
Primus inhumana corripiêre manu.
Refpice quo, Vatem, moeftus, moriente, Cupido
Pectora Peligna tundat aperta manu.
Et per quem caelo, per quem celebrata canoro
Pectine, victurum JULIA nomen habet:
Ante diem in viridi confumptus uterque juventâ,
Et jacet hic rapidâ raptus, et ille, manu.
Ecce meus jacet, heu! primis HINLOPIUS annis,
Et natat ignavo pallida forma lacu.
Ille decus Juvenum, doctae fpes ille Minervae
Laeta, Machaonii nominis altus honos,
Et modo Trajecto (decus ah breve!) fama vetuftae
Addita, me miferum! muta favilla jacet!

Te-

Tene, ſacrum Phoebo caput, atrox Parca reſecto
Stamine, Taenariis pallida merget aquis?
Tene, Sodalitii lux, Ten' vapor ille rogalis
Hauriet, et manes parvula teſta premet?
Nec rabidas potuere Deas tot vota bonorum
Flectere, nec fuſae tot potuere preces,
Nec bona tot mentis, nec tot bona corporis, iras
Quin caderes ſaevae praeda petita Necis?
Me miſerum! ut totis febris furit arida venis,
Corporaque infeſtus torret amica calor!
Ut bona mens, ſaevis lymphata doloribus, addit
In cumulum infandis ſe, ſibi rapta, malis!
Ut ſuprema quies, vicinae nuntia mortis,
Lumina Lethaeo feſſa ſopore premit!
Stat luctu Medicina amens, ingentis alumni
Funere, direptis exululatque comis,
Et ſibi ſurreptum queritur decus, et ſibi c! triſte,
Nil in Avernales flet licuiſſe colos,
Sexta dies aderat lacrimoſo ſumma Decembri
Staminis; hac coelum, Mars violente, tenes.
Et jam Parca viro, noſtris ſtat et invida flammis,
Membraque in aeternum Nox reſoluta tegit.

Atra dies! longum noſtro foecunda dolori
Materies! nullo ture pianda dies!
Digna vel aeternum laevo Jove! digna perenni
Cui neget auratum Cynthius orbe jubar!
Te dolor, et luror, ſtrepituque obſcoena ſiniſtro,
Strix notet, et rauco murmure noctis avis!
Te notet, et faſtis neget, alti conſcia luctus,
Poſteritas, Petri commiſerata necem!
Tu dura, heu! noſtros, lux, non miſerata dolores,
In ſocii carum Tu furis, atra, caput,
Et, ne conſurgant doctis decus artibus, altum
Obruis inceſtis nomina funeribus.
Flete pii! mecum corcordes flete ſodales,
Et Socio planctus congeminate novos!
Quem ſine felle animus, quem blanda modeſtia carum
Fecerat, et crebro pignore ſancta fides,
Et probitas, et qui, ſincero pectore, multis
Conſtitit exemplis, non ſimulatus Amor.
Flete piae Muſae! in longos exſurgite luctus!
Hic ſonet immenſum ſera per aeva dolor!
Hic ſonet, et raptum tumulo ſuper aethera funus
Differat in magnum, qua patet orbis, iter!

Sen-

Sentiet haec fidei pia pignora nobilis Umbra,
  Plaudet et ad noſtros exhilarata modos,
Perruptisque animoſa rogis petet aſtra, merenti
  Quo dudum Virtus inclyta fecit iter.
Fallor? ab evictis an celſior ignibus exit,
  Et repetit patrium mens generoſa ſolum?
Sic erat; en! fati quantumlibet ira potentis
  Tot rapida tulerit votaque ſpesque manu,
Quod fuerat mortale, jacet; pars optima reſtat;
  Haec manet, haec patrio jam viget orbe redux.
Aligerûm Te, PETRE, polo, Te, PETRE, piorum
  Vexit in auratis turma beata rotis,
Quâ nec edax luctus, nec amari taedia fellis
  Tingunt ſidereis gaudia longa choris,
Nec venit a lacrimis duro medicina dolori,
  Falce nec in cives trux Libitina furit;
Sed viret aeterni felix amaranthus honoris,
  Auraque victuras mulcet amica roſas,
Et numeroſa fides, et bis duodena moventur
  Plectra, coronatis docta ſonare choris.
Aſt medius ſuperûm flammanti celſus Olympo
  Emicat, et nimbo temperat ora Pater.

Illic erroresque, metusque et taedia vitae
  Plurima, mutata ponere forte licet.
Felicisque Chori felix pars, ipfe, perenne
  Exfultas plaufu laeta per arva novo.
Et modo ridetur, qua plebs ftupet anxia, multa
  Fabula, barbato faepe probata Sopho.
Nunc lubet immenfi morem pernofcere mundi,
  Libret et ingentem quâ Deus arte polum.
Aethere cur magno liquidum per Inane moventur
  Aurea defcriptis fidera temporibus?
Et cur Septenus Phoebi petat ora ftupentis
  Orbis, et alterno gaudeat igne coli?
Qua lege innocui rubeant per faecla Cometae?
  Et via cui purum Lactea fignet iter?
Innumero, num fublimis, variata per orbes
  Innumeros, Phoebo pareat aethra fuo?
Se premit Omnipotens unis Telluris alumnis
  Gloria? num multo funditur orbe labos?
Mutua vis magnae fi vincla perennia moli
  Injicit, et toti praefidet una polo?
Nunc juvat arcanos mentis luftrare receffus,
  Nec fe; difficilis quae prius, illa tegit;

An

Aut ſocios volucri greſſus miſcere catervae,
Qua nitet arguto lumine blanda dies;
Quaque immortali vivax fovet Arbor in umbrâ,
Et rigat aethereos purior unda greges.
Teque alacer feſtum Paeana canentibus addis,
Et juvat aurata concinuiſſe lyra,
Qualis ab aeterno, Triplici miranda figura,
Fulſerit Una ſuis Mens ſaturata bonis;
Natus ut in noſtrae ſe ſponte piamina labis
Obtulerit Magno, non iteranda, Patri;
Utque Idem tulerit, magnum poſuiſſe Tonantem,
Stramineoque toro, funereaque trabe;
Gloria ſed rumpit tumulos recidiva, piosque
Lapſus ab ignifero Spiritus axe fovet;
Aut, cieat feris qui rupta cadavera buſtis,
Auguſtum numeris ſollicitare diem,
Quaeque Aurora, piis aeternae praevia lucis,
Immenſo Natum ſumma labore manet.
Sic juvat aeternum revocatae, Care, ſalutis
Auctori grates reddere, PETRE, Deo.
Sic Tibi, Divino dum blandum flamine langues,
Mollia perpetui tempora veris eunt.

Salve ſiderëi civis novus, Optime, regni!
  Salve ſiderea, PETRE, recepte domo!
Et noſtris reſolute malis, reſolute veterno,
  Et quaecunque vagus ſomnia mundus alit!
O! cum Parca meae properabit buſta favillae,
  Ultima lex eat haec funeris una mei!
Sic Divina meas lambat placida aura medullas,
  Iſtaque Pax cineres condat amica meos!
Sic Tibi me Comitem jungat ſociata voluptas,
  Et ſociet, priſco foedere certa, manus!
Fortunate! ſacro CHRISTI quicunque piatus
  Sanguine! poſt cineres Te bona palma manet!
Te ſupplex, Te primaevae mens conſcia culpae,
  Blandaque in aethereas evehet aura domos.
Nam neque per magnos avido quaeſita labores,
  Sera nec ingenio fama ſecunda bono,
Nec, male Socraticam vultu mentita, ſupremo
  Mortis ab aeternae, ruga, labore vacat:
Aut dominos haec praeſenti diſcrimine fallent,
  Aut laudes, ſtudiis diſſona, ſaecla terent.
At non Divina nece victrix palma renatis
  Deperit; aeternum ſtat pietatis honos.

Nec

Nec mirum; Nato, fidae tanta, Ipfe, catervae
  Annuit, oranti, pignora ferre, Parens.

HERMANNO GERARDO OOSTERDYK,

Doctori Medico.

Sic Tibi brumali, longum renovanda, fub aftro
  Annua feftiva gaudia luce fluant!
Sic Mihi concedat longum lux blanda fodali
  Annua feftivis munera ferre fonis!
Ut modo natalis fexto quater orbe relapfi
  Gaudenti focio littera teftis adeft;
Teftis et, Aoniis bene fida caloribus, artis
  Qualis Apollineae pectora tangat amor.
Utque Tibi currant mellitos garrula lufus
  Fila per argutas reddere docta manus.
Hos fovet, in docto fi quis favet orbe Camoenis,
  Carminaque Aufonio fparfa fapore probat.
Ipfe quoque agnovi, numeris collata difertis,
  Durior his quanti vena caloris eget!

Scilicet Heroos tenui tentare labores
  Denegat, et rari jam tenet aura Dei;
Adque leves habilis, nec denso pulvere, bigas,
  Torpet ad effusas rustica Musa rotas.
Num tamen invideat quoque? percontaberis; illam
  Arta sodalitii cura dolere vetat;
Dumque negat latices huic Castalis unda, poëtam
  Te colit, et socio, quod valet una, favet.
Quin mage jam studii pia pignora prodere summi
  Tentat, et abjectam, Te praeeunte, chelyn.
Quin modo tentabat lucis memorare relapsae
  Munera tot, Genii parta favore Tui;
Qualis et umbroso Parnasi culmine plausus
  Nascentis pueri laudibus insonuit.
Inde poli vultus Vestro num riserit ortu?
  Quid gravis Orion, Phillyridesque ferant?
Cum Bona Mens (nostris amat haec comes ire Camoenis)
  Adfuit, et vultus constitit ante meos;
Sed mage praesentis cupienti prona poëtae
  Forma capax veri visa referre fidem.
Cura recens flavos ornaverat arte capillos,
  Nec vetus in niveâ fabula veste stetit.

Et;

Et ; quid ab ignifero ſortem petis axe ſodalis,
  Non profecturi falſe laboris ? ait.
Iſta levi priſcos ſat luſit imagine vates
  Fraus mala , fucatâ relligione potens;
Humanasque vices, ſatis bene conſcia veſtris,
  Credita non vanis volvere ſigna notis;
Sed Longe ingenii jam vis jacet igne ſagacis.
  Lude, puer, ſaeclo quae magis apta Tuo:
Quove ferat fortuna, pius me poſce, polique
  Spernere me fictas diſce monente minas.
Prima polo fixas virtus KEPLERIA leges
  Prodidit, et ſtabiles juſſit obire vices;
Nec minor immenſi comes huic GALILAEA laboris
  Gloria, detecto major ab axe, micat.
Ecce Caledonio NEWTONUS lumen ab orbe
  Explicat, et nubes juſſit abeſſe polo!
Cujus ab auſpiciis Phoebi petit ora ſtupentis
  Orbis, et alterno gaudet amore coli;
Per quem ſanguinei rubuere impune cometae,
  Mortalesque movent ſidera nulla vices,
Nec moveant ignara dehinc. ego certior augur
  Apta ſacerdotis volvere fata mei.

Scilicet hoc meruit vocalis adorea Musae,
Et Pudor, et nulla labe notata Fides,
Quoque refert proavos, Medica labor unus in arte,
Pervigil ad nostros curaque sancta focos.
Ipsa regam longos surgentis amica labores,
Ridentique dabo forte quiete frui.
Sitque, precor, longum; sed si tamen invida Carum
Fors premat immeritis nomen acerba malis,
Tum quoque pax, nostro medicamine parta, docebit
Tristia securâ vulnera mente pati.
Scilicet haud istis Divûm majora merenti
Praemia mortali reddere cura valet.

PETRO VAN MEERWYK,

Dissertationem Philosophicam publice defendenti de motu terrae diurno atque annuo.

Nunc mihi Castalides mollissima carmina dictent;
Nunc juvat in blandos cogere verba modos,

Cin-

Cingere Olympiaca juvenilia tempora fronde,
Myrtea victrici nectere ſerta comae,
Texere frondoſas, victricia germina, laurus,
Purpureas placidi ſpargere veris opes,
Dum ſacer ingenii fert impetus, et tuus ignis
Aurea Te rapida tollit in aſtra fuga.
Ignea ſtelliferi reſeras penetralia coeli,
Sidereas ſuperum pandis et usque domos;
Quae leges, quae jura polo, quîs maxima Tellus
Permeet inmenſas aetheris alta plagas;
Haereat ut, coeco lucem qui dividit orbi,
Inmotus, medio permaneatque loco,
Nec ſpatia inmenſi percurrat maxima mundi;
Ignea nec nitido ſidera ſparſa polo.
Tempore quae longo ſententia priſca Sophorum
Floruit, et coeca credulitate ſtetit,
Victa Tibi doctis, fortiſſime, ſternitur armis,
Creſcit et ingenio nomen honosque Tuo.
O noſtrum decus, Amſteliis celſiſſima terris
Gloria, et aeternae laudis alumne puer!
Praepetis ingenii te tolle fugacibus alis,
Et preme Pegaſeo nubila celſa pede.

Om-

Omne feca fpatium, finemque volatilis aevi,
  Perque polos penna remige nixus abi,
Ignea divinae quo fert follertia mentis,
  Quo rapit ingenii te levis aura tui,
Ignavum fpernitque pecus, vulgique tenebras,
  Flammea dum celeri fertur in aftra fugâ;
Ardua dum redimit victrici tempora lauru
  Gloria, Te celfo conftituitque loco;
Dum nomen vaga Fama tuum, clangore perenni,
  Spargit in Eoas Hefperiasque plagas.

PETRO BURMANNO SECUNDO,

Ligato Sermone de Eruditionis neglectu, et luxu, Reipublicae perniciofis, pro concione dicenti.

Qualis Dircaeas Amphion victor ad arces
  Movit Apollineae faxa canore lyrae;

Qualis et Alcaei fluctus, pulsosque tyrannos,
  Armaque Lesboae concrepuere fides;
Nec minus Orpheae ſpirans facundia Muſae
  Qualis Taenarii molliit ora Jovis;
Talem Te, Latiae princeps animoſe Camoenae,
  Solvere facundo vidimus ora ſono.
O Muſae! ô ſacris ridentia culmina lauris!
  O Charis! et Suadae cuncta domantis honos!
Ut meminiſſe juvat! quam nos manifeſta voluptas
  Contigit, Aoniam Te feriente chelyn!
Quae ſpecies, qui vultus erat! quae maſcula linguae
  Gratia! quae doctas vis moderata manus!
Te tremuit Muſaeque minas Inſcitia, quique
  Livor atrox in Te nil potuiſſe dolet:
Deſidiâque potens, vetitique cupidine lucri
  Luxus egens, Patriae Lerna pudorque meae.
At Phoebus Comitesque novem riſere canenti,
  Celſaque Pieriis Gloria vecta rotis:
At Patriae Tibi plauſit Amor, fecundaque plectris
  Materies, Batavûm fama vetuſta, Fides:
Et Tua venturo commendant carmina civi,
  Unde ſibi mores poſtera turba petat;

Diſcat

Difcat et auguftis Majoribus aemula, fancto
  Virtutis ftabilem tramite ferre gradum.
Quod fi non imis erraret dira medullis
  Peftis, in incautos ferpere nata finus;
Noftra quidem his ftimulis ageretur, PETRE, juventus,
  Ureret et prifcae pectora laudis amor.
Sed nunc effoetos praedata eft Gallia fenfus,
  Nunc Batavis levitas pro gravitate placet.
Qui quaerit Cattos veteres, rigidosque Sicambros,
  Is tetigit noftram vix novus hospes humum.
Hic vetus incomti tenuit rigor ora Parentis,
  Et, pia Civili tela regente, fuit;
Et furor Albanus noftras cum verteret urbes,
  Et poft Albani monftra repulfa jugi;
Maenalidos freta poft audaci rupta carinâ,
  Noftraque Ruterâ fulmina torta manu.
Tunc igitur veris animofa Batavia natis
  Protulit in geminos nomen et arma polos;
Tunc Patriae fuperabat amor; tunc maxima virtus
  Gloria, nec prifcus nomen inane pudor.
Sed Marti duranda pater fincera probabat
  Exploratrici corpora Rhenus aquâ.

Pro

Pro quibus, ô Superi! noſtro vox fracta nepoti,
  Tinctaque fucato moecha lepore placet;
Et quascumque notat peregrina aſtutia nugas,
  Praemia quîs proavûm mutet ineptus, opes,
His inhiant; huc ingenuas induſtria mentes
  Erigit, hic juvenum pectora tangit honos!
Horum nullus amat rationes quaerere legum,
  Vincula nec Proceres quae populosque ligent;
Nec quae magnanimi coïere in foedera Belgae;
  Nec cur tuta ſalum panda carina ſecet;
Quid faciat cultis commercia creſcere terris;
  Objice vel fluctus qua domet arte labor.
Quid mirum, innocuas etiam ſtupor iſte Camoenas
  Si premit, atque alio flectere cogit iter?
Maeonidae ſi ſordet honos, magnique Maronis
  Fama, nec ingenium Sicelis ornat apis:
Squalida dejectae quod Pallados atria ceſſant,
  Et Bona Mens noſtros linquere juſſa lares:
Quis venit hinc fructus, feris niſi vana ſub annis
  Surgat ut inmenſi fama laboris opus?
Haec acuat magnae ſitientia pectora laudis:
  Illis ampla ſatis gloria Deſidia.

Ner-

Nervus abeſt animis, quos inſidioſa Voluptas
  Cepit, mentitis fallere docta bonis.
Haec primum blandita viris obrepit, et ore
  Imperium molli ſubdola mite probat.
Mox ubi neglectis ſuccrevit robur ab annis,
  Inplicat et dignas foeda catena manus,
Detonat in victos, captisque illudit, et inſtat,
  Aſperaque in populo regna gemente tenet.
Talis ab Iſacidae fatalem vertice carpſit,
  Arte Palaeſtina, ficta puella comam.
Talis et Antonì, dominum patientis Anubin,
  Languit in Paphiis vita pudenda roſis.
Haec ſunt, quae populos expugnant arma potentes,
  Fatorumque gravi ſub pede ſceptra terunt;
Fata trahunt populos; fatis urguentibus urbes,
  Regnaque damnato procubuere ſolo.
Ad partes Vindicta venit, verſatque ruinam;
  Muſarum ſpretas exigit illa vices.
Sic Syrus Eufrates, et gens antiqua Canopi,
  Et Tyros exactis artibus alta jacet.
Actaeaſque domos, et Dorica rura, ſuumque
  Permeſſon profugae deſeruere Deae.

Suſce-

Sufcepit Latium, feptena et juffit ab arce
Bis domito celfum tollere in orbe caput;
Bis doluit fugiffe, et inhofpita regna Boötae
Hoc decus Hefperias et rapuiffe domos.
Quae nunc augufto facra haec dignantur honore,
Quam vereor, terris laus ftet ut ifta diu!
Et fleat, heu fero! juftas focordia Mufas
Non intellectis fe fpoliaffe bonis.
Fors erit ut, faftus Europae paffa novercae,
Orbe alio latebras Mufica turba petat;
Auriferae felix cum fiftet America glebae
Numina, quae tepido cardine grata colat.
Mexica cum, Phoebique fuperba nepotibus ora
Perrumpent duri barbara clauftra jugi;
Ibit in inbellis cum liber Araucus Iberi
Vulnera, Smyrnaea raptus in arma tubâ;
Et Canada, in mores invicti ficta Britanni,
Duxerit ad patrios orgia noftra lacus.
Paraguae tunc facra feret, tunc jura Tapuyae
Exful Agenoreo ponet ab orbe Themis;
Hefperis et patrii faftus compefcet Amazon
Fluminis, et placidis ire jubebit aquis;

Oraque NEWTONI numeros Californa ſtupebit
  Fluctibus, atque ſuo, frena dediſſe, polo;
Irocüumque trucem, Huronaque molliet olim
  Corda Venuſinae Suada canora lyrae.
At gravis urguebit miſerandi fata nepotis
  Barbaries, diri Marte reducta Getae,
Seque ipſa Europe feris mirabitur annis
  Orbis in, effoetam, ſecla rediſſe Novi.
Nimirum populis una eſt haec poena protervis;
  Me miſerum! Patriae quam metuenda meae!
Quam grave praedicunt fractis ignavia rebus
  Excidium, et mores, qui placuere, novi;
Cunctaque praeteritae quae longum crimina famae
  Omina caſuris dira dedere focis.
Jam properant languorque gravis, frigenſque ſenectus,
  Nec Patriae vires poſſe novare dabunt.
Nulla tenet cives communis cura ſalutis,
  Quos privata ſua commoda lege regunt;
Quos cultu victuque ſuos poſuiſſe penates,
  Seque alio genitos orbe probaſſe juvat;
Omnia quîs Batavae ſordent miracula terrae.
  Quid meritos dicas, quîs ſua vilis humus?

Et tamen (incautis tanta eſt dementia) luxu
  Creſcere divitias conciliante putant:
Fluxa ſed iſta fides, uſuque negata magiſtro;
  Quas aluit, Luxus vertere ſuevit opes.
Has ille inſidians animis ſuffecit avaris,
  Ut trahat illecebris pectora capta ſuis.
Nec potis eſt victis peſtem excantare malignam
  Senſibus, huic inpar ſtat medicina malo.
Tu prius et Rheni poteris vada reddere Nereo,
  Coctaque Zemblaeo condere vina gelu,
Quam facere, ut Batavae redeant, BURMANNE, juventae
  Alta peregrinae taedia luxuriae.
Nam licet, Heſperiae ſonitu convulſa ruinae,
  Turbatis referas aſtra ruiſſe rotis;
Aut Ephyres flammas; duroque animoſa Lycurgo
  Moenia; vel juſti Gnoſia regna Senis;
Aut Thebas veteres; et Achivûm nomen Athenas;
  Inque triumphato Byrſa ſepulta ſolo;
Et quiſcumque, ferax antiqui criminis, aetas
  Debita nequitiae praemia ferre dedit;
Non tamen effuſos poteris convertere mores,
  Cum ſemel eſt vitiis libera facta via.

Non ita Phoebei mirata eſt unda Cayſtri
  Alciden Lyda ducere fila colu;
Aſpera Circeae nec ſic ludibria virgae
  Flevit Ulyxeus corpora Graja labor;
Nec ſic lymphati miſeratus Sequana civis
  Membra, Medardinis excruciata dolis;
Quantum iſthaec Patriae tabes infeſta Senectae,
  Luxus iners, juvenum languida corda tenet.
Quid Batavi, niſi nomen, habes gravis, accola Rheni?
  Tam te fortem olim non pudet eſſe levem?
Tanti membra fuit peregrino fingere cultu?
  Exitii pretium tu luis ipſe tui.
At tu, quid noſtros praedata es, Gallia, ſenſus?
  Quod ſpolium e noſtra gente proterva petis?
Nonne ſatis, priſcum tibi deperiiſſe vigorem,
  Et fractam inflexo procubuiſſe genu?
Richelios faſtus, Maſarinaque monſtra tuliſſe,
  Et minimum Regi dura tributa Bono?
Exhauſtaſque urbes, populataque rura colonis,
  Subjiciente ſuas Religione faces?
Legibus et periiſſe decus, periiſſe Camoenis?
  Notaque flagitiis ſecula ferre tuis?

An, quia nunc ipſa es propriâ diſperdita culpâ,
Funeris in partem nos cupis ire tui?
Te ſolam periiſſe pudet? Tu noxia noſtro
Exitio cauſſas, Te pereunte, dabis?
Dî melius! ſceptrisque gravem populisque ruinam
Exemplo vitet Belgica docta tuo!
O Patria! ô Martis quondam domus inclyta! vindex
Oceani! ô artis ſe ſuperantis opus!
Unica Libertas quam dos male ſtantibus arvis
Surgere, et infeſtas ſpernere juſſit aquas!
Heroum fecunda parens! Legum optima nutrix!
Maxima Virtutum mater et unus amor!
Aönidum tutela potens, Majaque creati
Alitis, et doctae dives alumna Deae!
Quo ruis ah demens! quid te, male degener, ipſam
Deſeris, et tantae, Belgica, molis opus!
Et bona tot, Patriae inpenſi pretiumque decusque
Sanguinis, et votis fata ſecunda tuis!
Quo fuit, auriferis pontum texiſſe carinis!
Armaque tot terra, tot domuiſſe mari!
Auſpice te toties rediiſſe in foedera Reges
Quo fuit, Europae vel poſuiſſe modum!

Si fueras casura tuis, miseranda, tropaeis
  Obruta, quam vili pressa sub hoste jaces!
Ah melius, ducta Ausonio captiva triumpho,
  Sensisses Latii pila cruenta Ducis!
Cimmeriis melius latuisses mersa procellis,
  Aequore quum patrio detonuere Noti:
Celtiberove truci cecidisses victima, belli
  Dura superfuso fata morata mari!
Tunc poteras te digna mori; quae tempore ab illo
  Inminuit, probris poena pudenda fuit.
O, cineres miserata Patrum, miserata Nepotes,
  Inpuro tandem subtrahe colla jugo!
Sume animos, quos ausa prius, cum vindice Legum
  Iret in Hispanas Mars tuus ense domos:
Eripe te seclo, nocituris eripe somnis
  Corpora jam nimium languida, teque tibi!
Dum potes, et nondum penitus depasta venenis
  Paeonias renuunt ulcera ferre manus:
Dum licet, et proprio nondum omnis praeda furori
  Vel superis etiam flenda ruina jaces.
Vana queror, nam quid surdas temerarius aures
  Me sperem tenui flectere posse sono?

Quas

Quas nec prisca valent, nec secli exempla recentis,
Aemula nec Latiis Musa movere modis!
Tu melius populis ignavi damna veterni
Excute, BRILANO Nomine laeta Dies!
Festa Dies! plaudens post ter duodena Batavus
Quam recolit lustris addita lustra tribus!
Cujus ab auspiciis jurati in praelia Belgae
Despexere trucis tela dolosque Tagi:
Unaque septenum felix regina per orbem
Libertas casto gaudet honore coli.
Tu saltem ô, prisci si quid super, alma, caloris,
Pectora da flammis fervere mota novis!
Tu stimulos in magna viris, tu roboris ingens
Exemplum civi condere nata meo!
Et face, ut exsurgat Majoribus aemula pubes
Antiquum Batavâ laude novare decus!
Ne soboles mox turpis, Avos imitata nocentes,
Infanda scelerum secula nocte premat!
Discat et, indignum! peregrino perdita luxu,
Vincula servitii deteriora pati!
Diffugient cum Pax et Opes, nullasque tenebit
Anchora Texalio litore jacta rates;

Arvaque, vepretis et ſentibus horrida, tandem
  Feſſa Caledoniis dextera pandet aquis:
Cum Batavûm clangens aurata palatia mergus
  Incolet, et priſco gurgite laetus anas:
Navitaque Arctoo proſpectans litora, tellus,
  Quaeret, ubi eſt, toti quae dominata ſalo?
Et dicet, rea facta ſuis gens inpia noxis
  Inpulit invitos in ſua fata Deos.

D. M.

GERARDI ARNOLDI HASSELAER.

Te, proavos inter cineres ſobolemque Batavam,
  Condidit adflictae ſaucius urbis amor,
Magne Senex, clari laus ſanguinis inclyta, vindex
  Pallados, Amſteliae firma columna rei.
Te Patriae, Te naviferi dolor anxius urget
  Amnis, et Eöi qui freta nave domat.
Te vocat, et ſpicam frangit, crinesque revellit
  Aurea Pax, Belgis munere ſalva Tuo.

Te

Te Virtus, Te cana Fides ſpectabile morum
  Exemplar civi plangit abeſſe bono.
Nec minus Uranie, pallam laniata nitentem,
  Et ſphaerâ, et radio pone jacente, ſtupet.
Aſt luctu cruciante amens, effletaque, nomen
  Poſcit ab invito pectine Muſa Tuum.
Muſa Tui toties ſtimulis animoſa favoris,
  Nunc fracta, et tumulo immortua paene Tuo,
Hos pro carminibus gemitus, lamentaque, dirum
  Munus, ad inviſos fert miſeranda rogos.

IN

CARMINA JUVENILIA

GERARDI HOOFT JUNIORIS, LAURENTII VAN SANTEN, HENRICI ZACHARIAE COUDERC, ET LAMBERTI SCHEPPER,

JUNCTIM EDITA.

Salve, parve liber, felicis fida juventae
  Teſſera, laurigeri ſpes pretioſa chori!

Salve iterum, jam nunc Charitum feſtiva movere
Orgia, Pimplaeas ducere digne fides!
Nobile flammarum pignus, labor ardue Famae
Auſpicis, ingenii magna minantis honor!
Te juvat amplecti! quam tu ſitibunda poëtae
Dives Hyantaeo pectora rore levas!
O vigor, ô vires, ô veri certa caloris
Signa, Cupidineae fomes alumne facis!
Quam facilis nitor eloquii, maturaque ſucci
Forma, nec a nimiâ pallidus arte decor!
Talis formoſum Titan caput exſerit aureus,
Cum rubet a primâ Memnonis ora face:
Et talis vernans, candentibus aurea gemmis,
Divitis autumni munera pomus alit.
Hic ſedet, et dominos aeternae frontis honores
Pandit, et in vates jus Erycina tenet;
Ad latus adſultant volucrum chorus omnis Amorum,
Quos mulcet roſeo pollice trina Charis;
Et comes his ruris SANTENIA plectra ſecuti
Nympha verecundum temperat arte pedem;
Quam prope ſic meritos ardentibus implicat ulnis,
Ingenuo vultu ſuſpicienda, Fides.

Ast

Ast circum e Paphiis Zephyritidos aura rofetis
Spirat, et Idalii veris amoenus honos;
Et, convulfae animas per bafia mille, procaci
Dulce liquant niveae gutture murmur aves.
Hic tenet HOOFTIADEN ridentibus aurea fertis
JULIA, et alternus foedera condit Amor;
Et, primum Latio quem reddit America vatem,
COUDERCUM argutis CYNTHIA luminibus.
Nec pudor eft flammas et cognita tela fateri;
Nefcia res fuci verficoloris amor;
Nefcia res pubes, cui princeps plectra Cupido
Tentat, et ardentes fingit in ora modos.
Sic quondam patrii juvenilis Mufa Secundi
Prima Dioneis imbuit ora favis;
Et tener ingenuis Relandus ab ignibus arfit,
Intendit puero cui Galatea chelyn.
Coeleftes flammae! post frigida dentis amari
Sibila, post cineres vivere nate calor!
Vos Phoebi, vos Pieridum levis aura fororum,
Famaque virgineo tollat amica jugo!
Vos Cytherea parens, Pueri vos taeda potentis,
Dulcis inexftincta vos face pafcat Hymen!

Ite ſacri juvenes, blandaeque recentia myrti
  Praemia per lauros continuate novas,
Et, mihi ſi niveis plauſit Phoebeïus alis
  Cycnus, ab auſpicio ſecula ferte meo.

IN NATALEM

GULIELMI ALEWYN, FREDERICI FILII.

Care Puer, bimi teneros cui veris honores
  Candida lux, fauſto ſidere grata, refert,
Creſce, patris ſpes laeta tui, matrisque voluptas
  Plurima, et antiquae laus pretioſa domus.
Dî tibi ſic, animo pariter membrisque vigenti,
  Concedant placidos molliter ire dies;
Quos neque Fors unquam ſaevis premat aſpera ludis,
  Nec Dolor, aut Culpae conſcia Cura notent:
Sed bona Mens, caſtae ſed Pax ſibi conſcia Mentis
  Temperet, aſſiduo gaudia vere novans.
Tum dignos Genitore animos, dignosque Batavo
  Concipe, et in priſcum ſurgere diſce decus:

Nec

Nec nisi grandaevo gemini defleta parentis
  Sit pariter junctis fata tulisse rogis;
Utque horum spes prima vires, sic conjuge quondam
  Fecundâ socium continuasse genus:
Ast meritum Virtus solido spectabilis auro
  Ornet, et aeternâ fronde coronet Amor.
Auguror! arridens pacato lumine vultus
  Ut viget! ut felix indolis omen habet!
Ut suus ingenuo cunas jam spernere cultu
  Gaudet, et in verum discit abire virum!
At tu Natalis multos huic, Optime, soles
  Usque serenata fronte redire jube!

D. M.

JUVENTUTIS PRINCIPIS,

GERARDI HOOFT JUNIORIS,

SACRUM.

Hic meus, immiti confectus peste, quiescit
  HOOFDIUS; hic condit publica vota lapis.

Hic

Hic niger, ô Superi! pulvis premit illa juventae
  Omina. Spes quantas quam brevis urna capit!
Delicias Paphies; Charitum cor dulce, Leporum
  Nectar, Hyantaei nomen opemque chori,
Virtutum ſublime decus; coeleſte potentis
  Ingenii, et Famae ſecla parantis, opus.
Una dies patriae tot lumina flebilis urbi
  Abſtulit, et miſero gaudia ſola Patri.
Huc propera, quem damna pium mortalia tangunt;
  Qui pretium lacrimis ponere mitis amas.
Hic ſuus erumpit, formaſque furoribus omnes
  Implet, inexhauſtus cuncta per ora Dolor.
Hic tener everſas altum ſuſpirat ad aras,
  Irritaque averſus foedera plangit Hymen.
Hic comes ad tumulum laceris Amor anxius alis
  Volvitur, et fracto ſaucia corde Fides.
At Pietas dejecta ſtupet, ſpemque orba vetuſti
  Sanguinis hauſturos deficit ante rogos.
Et niveos laniata ſinus, obnuptaque vultum,
  Julia pervigili muta dolore ſedet.
Da lacrimas, quicunque domus tot vulnera celſae,
  Germina tot primo vere reſecta, gemis,

Et

Et Patriae miserare meae, fecloque ruenti
Hunc Juvenem iratos eripuisse Deos.

IN POËMATA
GERARDI HOOFT JUN.,
EDITA
AB
HIERONYMO DE BOSCH.

Sic meus, inmitis post tristia vulnera fati,
HOOFDIUS a busto major in ora redit:
Sic numeris rebusque suus; sic fundere suetus
Carmina; sic Juveni risit amica Charis.
His cantata fides, his dicta poëtica nervis,
Et tener innocui JULIA vatis amor.
Talis singebat sibi connubialia nuper
Foedera, felices talis amata toros.
Talem, Phoebeae meditantem praemia pennae,
Extulit Aönii blandior aura chori.

Talem ſpirantem proavitae nomina famae,
 Carus inexhauſto fovit amore parens.
Hunc ſibi ſpondebat firmatis Amſtela in annis
 Cuſtodem Patrii praeſidiumque foci:
Nunc deſiderium! proh ſaevi magna doloris
 Materies, ſero non minuenda die!
Nec mollire licet; ſunt et ſolamina damno,
 Et cumulus diro fit medicina malo.
Nil laeti grative vides; dolor ipſe papyrum
 Inficit, et moeſtis ductibus aera notat.
Non hic aptat amor pennas, non ulla choreas
 Hic Charis, aut ceſto ducit amicta Venus;
Sed moeror lurorque habitant, ſed publicus urbis
 Luctus, et Aönii vota caduca chori;
Tum patris aſſiduae curae, ſociûmque querelae,
 Moeſtaque pallentes JULIA ſciſſa genas.
Una necis pietas victricibus excita flammis
 Emicat, et cineri munera ferre parat;
Qualis anhelanti vicina morte ſodali
 Quam poterat, lacrimis victa ferebat opem.
Boſchia feralis pietas ſolatia caſus
 Parva, ſed ad manes officioſa, parat.

Col-

Colligit ingenii primos ſurgentis honores,
Paucaque quamtumvis pignera, cara tamen;
Naufragii tabulas magni; lacrimoſa ruinae
Pignera; de miſeris carmina rapta rogis.
Haec Amor ipſe ſuis defendit carmina flammis;
Haec fovet in cupido Cypris amica ſinu;
Haec favor Aönidum ſero volvenda Nepoti
Tradet, et artificis ſoſpita Fama Lyrae.
At Pater, agnoſcens, ſunt haec mea vulnera, dixit;
Haec mihi cur reddit non tua, Nate, manus?
Haec quicunque, meus ſeu civis in orbe Batavo,
Scripta, peregrino ſeu quis in orbe, legis,
Suſcipe tot famae titulos, venaeque feracis
Omina, tot cultae pignera cara manus:
Sed ſimul, et paucos coeptis ingentibus annos
Staminaque ingenio prima ſtetiſſe, geme,
Atque fidem Boſchî celebra, quam, foederis arcti
Immemor haud, cineri praeſtitit ille pio.

IN
PETRI HENRICI KOPPIERS
OBSERVATA PHILOLOGICA.

Qualis ad Aufonii fertur levis aurea Circi
Praemia, Maffylo femine fortis, equus,
Talem nunc vegetae, KOPPIERSI, in vere iuventae
Vrget ad Aonidum Te iuga laudis amor;
Talem laeta refert operae Te pagina; talem
In Te Piërius vertitur ora chorus!
Qui veterum inftaures titulos, qui Dorica vindex
Orgia, Romani qui monumenta foli.
Cui valido aeternos iam nunc quoque in aere fonores
Fingit, et Heröum praemia Fama parat.
Aft LODOÏX, nunc curarum non poenitet, Artes
Nunc, ait, en! poft nos qui tueatur, habent.
Macte Tuis animis; macte ifthoc Aufpice; virtus
HEINSIA SCALIGERO fic duce fumma tulit.

EPI-

EPITAPHIUM

MAURITII SAXONIS.

Victorem poſt tot belli Fortisque procellas
  Mauritium hoc presſit mors properata toro.
Mars pater, haud iſthoc leto, ſed juſta per arma
  Pro patria parili da mihi laude mori!

AD DIANAM.

Haec, Dictynna, tibi pavidae primordia praedae,
  Ruris inexhauſto captus amore, fero.
Expertus facilesque pedes, nec odora ſagaci
  Compita per campos impoſuiſſe cani.
Adde, potens citharae frater, tua munera! Vates
  Non alios cupiat vota probaſſe Deos.

in villa Santhorſtiana.

IN NUPTIAS JOANNIS FREDERICI ROËLL, ET S. B. DE BYE.

Tu quoque, cognato deductum a ſanguine nomen,
In noſtros venies, candide Jane, modos.
Jam tibi collucent, facibus redimita maritis,
Laetaque feſtivus limina luſtrat Hymen.
Qualia felices ſpondent tibi gaudia taedae!
Quantaque laeta dies, cultaque dona dabit!
Uritur, et geminos tecum fovet oſſibus aeſtus,
Et venit in gremium BYIA pudica tuum;
BYIA, puellari lux formoſiſſima coetu;
Gemmaque virginei florida, BYIA, chori;
Cura, ROËLLE, tuo pulcherrima nata calori;
Una ſuis annis gloria, ſolus amor;
Quam pudor, et mores, placidaeque modeſtia frontis,
Virgineique ambit purus honoris apex.
Formaque, coeleſtes quali Venus aurea formas
Vicit, Apelleo egreſſa puella mari;

Aut

Aut qualis tulit Idaeis pulcherrima ſilvis
  Aurea Dardanii praemia judicii.
Tantò eſt una aliis formoſior illa puellis.
  Hollando effulget prima puella choro.
Digna tuis facibus, generoſi digna mariti
  Moribus. eximia compare dignus eras.
Huic favet et Juno, favet et Cytherea calori,
  Blandaque formoſus praelia volvit Amor.
Ille procax veſtrae geſtit ſuſpiria luctae
  Murmuraque attentis combibere auriculis;
Et vitas ſingultantes, innexaque linguis
  Plurima, quae liquido baſia rore madent.
Fallor? an arguto fertur grege ſepta triumphans
  Mater in auratis huc Erycina rotis?
Fertur; et exſultans comes it chorus omnis Amorum,
  Cumque Jocis Charites, et ſine felle Lepos;
Et convulſae animas, per baſia ſicca procantes,
  Neſcio quid Paphiae dulce queruntur aves,
Quaque venit, Zephyri violas, anemonaque ſpirant;
  Terraque purpureis floret odora roſis.
Corripit illa leves velox per inania currus;
  Et luſtrat niveo limina feſta pede;

Cinxit et Idalia juvenilia tempora myrto.
  Et rofeus blando Numine favit Amor.
Mox ait: o juvenes, junctisfima pectora, clari
  Nominis, et gemini fpes pretiofa laris,
Ite alacres; vos, en! mollis vocat ipfe morantes
  Lectulus, et cafto bella jocofa toro:
Illic et dulces rixae, rifusque placebunt,
  Nexaque per blandos plurima membra modos,
Alternisque animas labiis trivisfe tepentes,
  Et quae praeterea dulcia bella juvant.
Ludite felices amplexibus, unde perennet
  Sanguinis egregii continuandus honos;
Et ferie fulcite domum, cui mifta parentis
  Utraque per dubias ludat imago genas;
Umbra Parentis in hac fe magna agnofcet, et una
  Sancta perennantis vita refurget Avi.
Dixerat, et Paphios fpiravit in osfa calores,
  Et totum Syrio fparfit odore torum.
Vere novo viruit torus, et tulit improba pasfer
  Suavia lafcivae ter repetita pari.
Et plaufere leves pennis, tenerum agmen, Amores,
  Argutasque choris implicuere manus;

Can-

Candidaque ipſa parens nutu dedit omina Juno.
Dulcis Hymen blandum condidit auſpicium.

IN

PETRI BODDAART

NUBEM TESTIUM

Pro Doctrina Juſtificationis.

Candida Relligio, generis certisſima lapſi
Una ſalus, animos flectere nata truces;
Qua duce ſe Pietas pernicibus ignea pennis
Exſerit, et numen, quod colit, ipſa capit;
Per quam Libertas, per quam Pax aurea perſtant;
Inperiumque tenet culta per arva Themis;
Haec pro thure tuus multumque crepantibus extis
BODDAARTUS ſacris fert pia dona focis;
Quae ſi forte premet fatui levis aura popelli;
Quique ferox ficta grex pietate furit;
His ſat erit, Chriſto ſi fida hortante perenne
Arcuerint Stygiis dogmata inuſta notis;

Si tibi nunc placeant, mitisque modeſtia puri
Chriſticolae et, Vero qui litat, unus amor.
Ulterius nihil eſt, quo ſe ſpes blanda labori
Porrigat, aut, votis quod ſuperaddat, habet.
Tu modo tolle caput, placidae certisſima mentis
Arrha, Sionaeis pagina foeta favis;
Nec frontem phaleris Cenſoris inepta ſuperbi,
Quo fluat ad populum fraus praeeunte levem,
Aſt patrio ſuſcepta tholo, ſuſcepta piorum
Agmine, latrantes deſpice tuta canes:
Per te fama viris, quos dira Calumnia vivos
Torſerat, et cineri debitus exſtat honos;
Quîs vigor ingenii, cultisque modeſtia chartis,
Et nocuit verae religionis amor:
Per te deterſis formoſior aurea naevis
Relligio roſeum fundit ab ore jubar:
Per te ſancta Fides, medio Vade nixa, reatu
Vindicat aeterno crimina noſtra foro,
Et ſtabili ad coelum conſurgit robore victrix,
Qualis, Paule, tuo nixa viget calamo,
Aut, calamo bene nixa tuo, BODDAERTE, ſtatoris
Laeta ſalutifero pectora rore fovet.

Au-

Audiat haec rabidi malesana Calumnia dentis,
Audiat haec famae gens inimica tuae,
Gens inimica Deo, gens tota infecta venenis
Gorgoneis, vetitos Legibus ausa dolos.
Rumpere, scurra, sacri pudor ordinis, inpia fuco
Qui vafer et pulla crimina veste tegis;
Rode Virum, rapidis quem dudum sancta merentem
Ardua Relligio vexit in astra rotis:
Hinc tamen auspicium poenis pete, dire, futuris,
Exemplo et superum disce timere forum;
Ut Valachri effugias suffragia, subdole, coetus,
BODDAARTI calamo conficiente cades.

EPICEDION
HENRICO Comiti DE BRÛHL Scriptum.

Invisum pondus terras coelumque levavit.

Conditur hoc tumulo (nisi se quoque deneget istud
Terra nefas sancto condere pura sinu)
BRÛHLIUS, infelix famuli dominantis imago,
Sidus Saxonicis exitiale plagis;

Saeva lues patriae miferas depafta medullas,
Saevior incauti peftis et hoftis heri;
Vifcera calcati praedo rapere orbis, et orbis
Barbarico luxu vertere natus opes,
Perque triumphatas audax incedere leges,
Legiferae fpolium certus habere Deae;
Bellua, Sejanis crudelior et Rufinis,
Eutropiis per quam vix licet effe malis;
Hydra, ferax monftris diros fuperare Cleandros,
Et Narcisfaei fecla novare doli:
Cujus in exortu, gemitu Germania coelum
Teftata, horrendum praefcia fenfit onus,
Verfavitque ferox pueri Dìfcordia cunas,
Uberaque Alecto fanguine tenta dedit:
Quem juvenem fcelerum duxere per omnia Dirae,
Et mala Fraus, vafra fufpicione potens,
Ambitioque procax, et Amor furiofus habendi,
Iraque trux, Faftu celfa tuente, comes,
Quaeque nocens rupti Discordia foederis auctor
Emicat, et ferro Vis fera cincta latus:
Per quem Taenariis emerfa Megaera cavernis
Tartarea intendit clasfica dira tuba,

Atque

Atque pares aquilas cognataque polluit arma
 Non profecturi Martis acerbus amor:
Auſpice quo patriae ſtant tot monumenta ruinae,
 Et deſolatos occupat herba focos:
Exſule quo timuit ſibi Viſtula; quem ſibi fato
 Devovit reducem Saxonis ora ſenem.
Corruit ille ferox, inviſae victima Paci,
 Sera quidem Paci victima, grata tamen.
Albi Pater gaude, Tibi ſpes, bone, ab ignibus iſtis
 Surgit, et in cineres lux recidiva pios.
Jam negat ad nutum famuli Themis ora minantis
 Solvere, nec pretio jura refixa gemit.
Libera jam tutis redeunt commercia terris,
 Et ſibi nunc patiens rura colonus arat.
Suevia nec, perpeſſa feri portenta tyranni,
 Se queritur pactam deſtituisſe fidem.
Hunc tamen ante ſuos reſolutum membra Penates
 Attalico nati compoſuere toro;
At quanto melius, laeſum ſpargenda per orbem,
 Plebejo arſisſent exſulis osſa rogo;
Aut miſeras gentes, tigno ſublimis ab alto,
 Quasſaque decepti ſceptra piasſet heri;

Vel,

Vel, populus cui praeda fuit, projecta nocentis
  Mors fuerat Geticis diripienda lupis.
Sed bene! quod, Nemefis vivo cui tarda pepercit,
  Poft cineres multo foenore jufta petit.
Jufta petit; cernis, qualis fedet arbiter umbrae
  Gnofius, et poenas fella fevera movet?
Ut vocat e rapido ftridentem gurgite larvam
  Tartarus? ut quasfat Tifiphone atra facem,
Intonet horrendum diro fuper ore latroni,
  Tergaque ab infefto vindicis angue fonent?
Defuper hunc premat atra filex? rapiatur in orbes?
  Atque inter Tityi poena vagetur aves?
Quemque fitis lentum vetito torrebat in auro,
  Hic inter refugos areat umbra lacus?
Devotam mala cuncta petant, quibus obruit ultor
  Æacus antiquae nomina nequitiae;
Quae Senis in caput hoc cum exhauferit urna feveri,
  Et fuerint vitiis vifa minora Deo,
In nova confurget tunc vulnera mille, reorum
  Eumenidum in lacrymas ingeniofa cohors.
Quid tamen huic taedas et inani pofcimus angue
  Verbera mentito torta fonare foro?

Sae-

Saevior his, propriisque amens mens noxia monſtris
Dira peruſturas condet in osſa faces;
Et, ne poeniteat, linguae dolor usque protervae
Suggeret in juſtos tela nefanda Deos.

IN ALBO

LAUR. SANTENII.

Quem puerum adſpexit placido Cyllenius orbis
Lumine, ſed quali praemia ſpondet opum;
Ingenii mox vimque ſacram miratus et uber
Omina tunc juveni candidiora dedit;
Plurima quem ſylvae Parnaſidos aura ſupinam
Linquere Phoebeo remige jusſit humum;
Cui frontem explicuit candor, quem verus adurit,
Multiplici civem pignere fasſus, amor;
Has meus in tabulas geſtit SANTENIUS inter
Nota tot et noſtrae condere ſigna manus.
Hinc petet, incendat viva quod corda favilla,
Aut ad acerba pius buſta queratur amor:

Huic

Hinc animo ſtimulos addent celebrata capaci
  Nomina, per memores obvia ſaepe notas;
Surget et exemplo priſci SANTENIA ſecli
  Laus, patrio Clarios ſiſtere in orbe choros.
Tantum ne magnis gravis auſibus incubet, annos
  Aut juvenes tumulo mergat avara dies;
Neu Muſis ſociisque foret metuendus, anhelo
  Aridus afflatu, qui notat ora, rubor.
Tu fer opem juveni juvenis, vatique repertor
  Carminis, et medica Cynthie in arte potens!
Tu dotes tot ſpesque veta famaeque labores
  Auſpicis et primo germina vere mori!
Et, tibi ſi vates placuit SANTENIUS, annos
  Burmanni et numeros impleat ille mei!

LYRI-

LYRICA.

AD

G. A. HASSELAER,

virum Consularem,

Post gravem morbum, feliciter depulsum,
Annum AEt. 69. auspicantem.

Qualem nauta videt verbere sub nigri
Malum gementem turbinis, impotens
Per Libycos equitantis Euri
Fluctus cum rabies tonat;

Te tactum gelido sidere palluit
Urbs magna nuper, cum Lachesis minax
Dextra tibi trucis, HASSELARI,
Jani deproperans colum

Kalendis, subito fulmine turbidis,
Anno sinistrum conderet auspicium, et
Mors, patriae meditata cladem,
Dilectum peteret caput.

Frustra; nam Batavi pro Capitolii
Quae fida Pallas turribus excubat,
Aegide, qua Geticos tumultus
Et fluctus populi domat,

Te tectum explicuit; Te Jovis aurei
Tutela Saturno eripuit gravi,
Et volucrem meditantis ictum
Avertit rabiem Deae.

Festis unde favens Curia vocibus,
Portusque et omnis solliciti fori
Copia, Te sonuere luctu
Te salvum posito domus.

Natalem Genius dum Tibi lumine
Sparsit sereno, nubilaque, et minas
Aequoris, et trepidis fugavit
Curas pectoribus graves;

Instaurat placidae stamina candida
Salus senectae mitis, et ordinat
Civibus Amsteliis fluentes
Annos auspiciis novis;

Te certum ingenuis praesidium Artibus,
Te sidus almum laurigeris choris
Aönio resonant sub antro
Gratâ Pierides lyrâ.

Te rebus Batavûm ſidere Martio
Presſis Statorem Pax bona, Te memor
Civis amor referet perenne
Amnis naviferi decus.

Tu ſerus, Patriae flendus amabili,
Viſes beatum flumen, et aetheris
Elyſii jubar, ac piorum
Luſtrabis placidum nemus.

I N

PETRI BVRMANNI SECVNDI,

B R E D E R O D I V M.

Devota fesſis pectora civibus,
Et Belgii noctem, et ſcelus Aſturis
Sceptri, repoſcentesque leges
Cantabrici ſpolium furoris,

Dic, quae Virorum nomina fortium
Auro loquacis, Calliope, lyrae
Servanda mandas, orbe ſecli
Purpuream geminante lucem,

Quâ ſerva Belgis Dux BREDERODIUS
Excusſit ingens vincula dedecus,
Iraſque in inſtantis Tyranni
Ingenuae tonuere voces.

Audiſtis? an me luſit imagine
Longinquus error? an mihi barbitos
Audita, divinum fluenta
Amſtelii reſonans ad amnis?

PETRUM ſereno lumine viderat
Regina; PETRI pectora Pythio
Flammavit oeſtro; digna Phoebo
Ore loqui dedit ipſa forti.

Veſtrum, Camenae, veſter ut arduum
Raptabat acri ſpiritus impetu!
Seu Margarin curis paventem,
Seu furiis ageret Philippos,

Monſtrumve, Baetis quod fovet ac tremit
Ipſe, innocenti parcere neſcium,
Faſtusve Granvelli doloſque
Taenariis premeret cavernis.

Veſtro

Vestro stupebat Numine concitum
Suspensa sacro turba silentio,
Nunc gentis Heroas Batavae
Ad Superos nitidasque Avorum

Sedes vehentem Maeonidae tuba;
Nunc laeta plausu secula libero
Civi ferentem, nocte pulsa,
Per liquidos dare frena campos.

Exsultat audax vis, et inanibus
Spernit morari, compedis insolens,
Ultraque mortali patentem
Ingenii rapit aura metam.

Talis Tonantis fervidus armiger
Pennâ repulsum dissipat aëra
Stridente, miscerique gaudet
Fulminibus, mediisque Divis.

AD

BARTH. DE MOOR VAN IMMERZEEL,

Alterum urbis Goudanae Consulatum auspicantem.

Quid luces patriae sacras
Privato vegeti fallimus otio,
MORI, nec patimur jubar
Virtutem valido rumpere fomite?
Non, quam dissoluït tepor
Infestus stabulis, ungula, pulveris
Iceni patiens, fuga
Praevertet Zephyros ignea turbines;
Nec fessis aqua limpidi
Fontis sufficiet pocula, cui graves
Incumbunt nemorum comae;
Nec, quae sidereis ardet ab ignibus,
Virtus distat inertiae
Multum somnipetae, si laris incolam

Pri-

Privati tenebrae vetant
Exempli nitido conſpicuam facem
Famae culmine tollere.
Virtutis validum publica pabulum
Lux. hic, praeſidium bonis,
Virtuti et patriae vixit idoneus,
Quem, navem ſibi creditam
Certum frenigera flectere dextera
Iras per dubias Notis
Luctantis pelagi, nec dare credulum
Euris vela procacibus,
Haud, ſi fulmineo turbine Jupiter
Mundo terribilis ruat,
Convulſum ſolidi robore pectoris,
Mens, recti ſibi conſcia,
Et lex officii ſancta volubilis
Nimbis expediunt Deae.
Illum purpureo lumine Gloria,
Coeli lucida janitrix,
Perfuſum, Superûm ducet ad aureum
Limen, concilio Iovis
Dignum, nec citharae vindice virgines,

Dium Mnemofynes genus,
Indictum meritis pectine feculis,
Lethaeis fpolium vadis
Deferri tulerint. Quid pede torpido
Cesfamus, vocat integer
Quo fortes Decor et Fas grave fulgidam
Laudis fcandere femitam?
Non, fi quem gelidus vipereo bonum
Livor felle perusferit,
Serus conpofiti foenore duplici
Ornabit cineres Honos:
Eft et quum meritis gratia publica
Floret parta fuperftiti,
Et vivae tribuit gloria praemium
Laudis, nefcia funeris.
Tu teftis; nitida cinctus adorea;
Famae Tu fuperas tuae,
Et plenum Batavo pectora fpiritu
Sacris adferuit tholis
Te Mos ingenuus, te Themis aurea,
Te dulcis patriae falus
Cuftodem; modicum te tua Confulem

Suintis

Sumtis GOUDA fecuribus
Agnovit, facilem depofitis prece;
MORI, Te repetit patrem.
Tu, voto facilis cedere civium,
Dulces delicias tui
Alpheni et placitam linque fequacibus
Umbram Pierii jugi,
Et, qui jam tenui, nominis inmemor,
Amnem dedidicit vado,
Rhenum, quo patrius gaudeat Ifala,
Qui Goudae focio favens
Deducit reducem murmure Confulem
Ad fuetum trabeae decus.
I, fafces, meritis quos tibi dextera
Teftis reddit Araufii,
Et, dudum Aoniis culta penatibus,
Lauri Mufa perennibus
Intexit foliis, aufpiciis cape
Dextris; emerito togae
Serrano Latiis raftra novalibus
Verfanti; Fabius, juga
Conful deme bovi fumida; reddere

Laetis laurigera manu
Sulcis ſpem Cereris mitte; frementium
Pridem dura Quiritium
Nutu corda potens flectere natus, et
Magnae ſemina fortibus
Virtutis juvenum condere mentibus
Exempli ſtimulis, bone
Dux ad magnanimos Martigenas redi.

Ad Cervum, qui venantem non fugiebat.

Dulce ſilvarum decus et fugacis,
Cerve, nutricis modo cura, quid me,
Fraudis imprudens hominumque, miti
Lumine ſpectas?

Vulnus et mortem tibi ferre pernix
Sulfuris caeco trepidantis aeſtu,
Imminet monſtrum grave, vel magiſtro
Fulminis anceps!

Quin petis notas pede tutus umbras,
Dum, tibi parcens, etiam paratae
Se negat praedae manus, atque ſaevo
Temperat igne?

Jam ſatis victum necis atque dirae
Fraudis humanum ſceleravit, hoc quam
Ut genus, noſtro violatus inſons
Crimine, diſcas.

Tene fallaci violare plumbo,
Tene crudeli laniare ferro
Dextra, tam parvo ſitiens lavari
Sanguine, tentet?

Tunc per enecti genitoris artus
Tulliae currus rapuiſſe torvae,
Tunc Idumaei meruiſſe pesſim
Praemia monſtri.

Tunc ferar Vargae comes, et madentem
Sanguine inſontum lacrimisque Cuscam
Rideam, et Galli miſeros ſceleſto
Sub pede Corſos.

Caede

Caede si spargi cupias ferina ,
Vel lupus pugnax , vel aprugnus horror ;
Diva silvarum! levet arva , forti
Cuspide fossus.

Ora quam molli generosa vultu
Innocens comit pudor huic! juventa
Membra quo bimi speciosa veris
Flore venustat!

Non! fuge hinc! telo tibi ne quis inde
Irruat; ne te premat, ah! anhela
Vis canum, plantae tepidum sagaci
Nare revolvens.

Heu pedum frustra celerem cruentis
Hostibus dulcis neque forma, nec te
Innocens candor, neque grata fessum
Eximet aetas!

Non , cibos mites , sobolem benignam
Ruris , aut stirpis , vitreumve rorem
Ore sincero rapuisse nulli
Debiliori ;

Nil

Nil tener queſtus, lacrimaeque mites
Proderunt, vultus nihil ille ſupplex,
Quique ſingultus tremebunda dentem
Ilia pulſat.

Haec juvant illos; faciunt nocentem
Illa te; neſcis, miſerande! neſcis,
Quanta convulſo furiis libido
Pectore turbet.

Illa cum fertur reſoluta frenis,
Peſtis effuſo truculenta nimbo
Demetit gentes, pavidumque late
Fulminat orbem.

Quid, quod haec, ortûs animoſa coelo
Principe, Eoï tepidum parentis
Munus, ignavum ſibi jus in orbem
Vindicat uni?

Nos penes mutae volucrisque gentis
Regna; jus nobis pecoris feraeque
Omne; conſurgunt et ariſta, et arbos,
Herbaque nobis.

Quin

Quin et alterno meat amne nobis
Unda ; nos Titan face lustrat ; unis
Maximus nobis rapit orbe tanto
Sidera mundus.

Et quid imbelli cohibere vultu
Tu pares cervus levis iste , ne te
Occupet pulchram rapuisse praedam,
Viribus usus ?

Quid quod et felix habeare , saepe
Principum fortem meruisse dextram ,
Saepe sectantum tenuisse dignus
Seria ludus ?

Quin et ad caedes , rigidumque Martis
Fingere humanas opus ille mentes
Utilis , mites pepulisse dexter
Pectore sensus.

ELICIUM
AD VENEREM,
A. D. II. NON. JUN. A. CIƆIƆCCLXIX.
SOLI ADPROPINQUANTEM.

Prodi venuſto ſidere, lucidi
Formoſe coeli janitor, et faces
Submisſus auctorem propinquas,
Nunc iterum venerare Phoebum!

Seu tu coruscum limen et auream
Tentabis arcem, ſeu pudor ignium
Ambire ſedem te monebit
Numinis exteriore limbo.

En ipſe ſudo te jubet aethere
Prodire Titan; te chorus Orbium
Germanus Erronum; ſupinis
Te Sapiens, populusque votis.

Te certa docti Gallia luminis,
Te laeta ſtellas dextra Britanniae
Servare coelo, Teutonesque
Non dubio jaculantur arcu.

Te Belga, portans huc alacer tubos
Baetisque, tandem redditus artibus,
Spectasſe procedens laborant
Nunc oculo jubar irretorto;

Qua blanda Pacis dextra perennibus
Permulcet Euris aequora, fluctibus
Adverſa noſtris; qua procellis
Memnonias Notus urget undas.

Huc omnis Arctos convolat; imminet
Ut Cimber inter Lappidos aridae
Pineta, quae Cauri ferocis
Nimbiferis quatit ira pennis!

Ut Moscus inter dura Siberiae
Te rura poscit, fluminis impiger,
Seu Lena, ſeu ſaevus repulſis
Jeniſëus fremuere ripis!

Ast

Ast Hellas omnis, regnaque, torridis
Qua Cancer Afris imminet, impio
Damnata procumbunt veterno,
In patrias male tarda laudes.

Tu gratus orbi, nec minus utilis
Redis, Tonantem, pectoris arduum,
Dextraeque, mundum temperantis,
Vim cupidus docuisse stellas.

Tu, blande, magni solis idoneus
Librare vires, ponderaque orbium,
Tu lance momentum daturus
Signifero grave surgis axi.

Te sancta vatum, principe calculo,
Dixisse leges temporibus cohors
Astrisque felix, adfuturum
Attonito cecinere seclo.

Tu nuper orbi propitius facis;
Tu blanda nostris artibus omina
Referre Phoebeos sub ortus
Lucifero speciosus orbe:

Idem, ferenus fulguris, Hesperi
Accende flammas; nec nifi pofteris
Spectande, nunc terris videri
Da rofeam fine nube frontem.

Non dextra fallax, non rudisignium
Percellat error lumina, non fibi
Cryftallus impar, Jupiterve,
Nunc pluvio metuendus ore!

Sic poft remenfum fluminis impetu
Secli laborem, candidus ominis,
Aftrique major puriorque,
Ad cupidos redeas nepotes!

Audimur! imbres, monftraque nubium
Deterfit orbi Phoebus, et orbitae
Vergentis in feram tenaces
Americen micuere flammae.

IN DANIELIS VAN ALPHEN COMMENTARIOS RERVM LEIDENSIVM.

Non auro, nec Hymettiis
Felix marmoribus ſtat ſuper urbium
Victrix gloria perfidae
Sortis, praecipiti ſidere maxima
Rerum culmine lubrico
Vrgere immodicae, cunctaque Temporis
Penna concutere invida
Pernicis; Phrygio litore funeris
Moeſtus Dardanii cinis
Fumat; Sidonii muta cadaveris
Moles quam Libyco gravis
Orbi! nox Ephyren, nox Ninon obruit
Ingens, nox Babylonios
Muros; ſed cupidis nomina, vivere
Chartis tuta fidelibus,
Seclis Fama canit; quid foret Atthidos
Lumen? quid dominae foret
Romae numen? inops ſi calami manus

Ceſſaſſet tabulis opes
Mandare, et pretium dicere nominis?
Fruſtra, LEIDA, fores tua
Arce, et Caeſareis nota ſecuribus,
Aut Rheno patre, vel potens
Nutrix lanifici mitis, et uberis
Glebae laude beatior:
Fruſtra Palladium pignus, et orgiis
Dulces Piëridum choros
Jactes, magnifico aeditua atrio;
Aut horrenda furoribus
Serves Cantabricis moenia, civium
Duro robore nobilis;
Si chartae immemores ferre perennibus
Mercedem ſileant typis.
Hac te MIERISIVS condere in urbium
Faſtos nobilium labor
Innixus; tenuit ſed gravis Atropos
Devotam patriae manum.
[illegible], urbicolae laetior impetus,
[illegible]ENI pia civibus
[illegible] Rhenigenis dextra nepotibus,

Magno

Magno conſpicuam jugo
Famae, laurigerae remige gloriae
Evexit calamo. quibus
Te Nutrix titulis! te quibus augeat
Juſtae gratia Belgidos!
Felix ſollicitae dextera curiae,
ALPHENE, et Themidos jubar;
Quem Pallas patriis pervigilem addidit
Cuſtodem penetralibus!
Tu famam tumulo compoſiti ſenis
Victricem necis excies;
Tu vitam patriae, quam tibi contulit,
Reddis foenere duplici.
Aſt pepli, ſenio cedere neſcii,
Auro Mnemoſyne ſacrum
Intexit radiis ipſa adamantibus
Nomen; te ſonat aethere,
Te terris valido Fama tubae ſono.
Tu Cliûs liquidas fides
Implebis; titulos tu Batavos; tibi
Laetis plaudere vocibus
Dediſcet memorum gratia civium,

Cum Rhenus fluvii procax
Devolvi aëriis desinet Alpibus.

Ad Fontes Spadanos
A. D. 11. Id. No-
vembr. A. 1769.

SALIZETVS.

Diva Libertas, duce qua Batavus
Mars et Hispani truculenta fastûs
Regna, et immanis furibunda stravit
Agmina Celtae!

Huc ades, Mater! tibi sacra, Mater,
Gentis antiquo referenda ritû,
Exsuli magno sociata Belgae
Turba paramus;

...ha sed leges coluisse solas
...d forti juga nolle collo
E regnis docilis priorem
Ducere mortem.

Haec

Haec tibi cordi, Veneranda. forti,
Integro, legum patriae et tenace,
Victimis centum potiore, cultu
Pectore gaudes.

Ipse vel stricto praeëam sacerdos
Ense, civiles alacer triumphos,
Laetus heroüm tonuisse forti
Praelia versu!

Hic decet civis, decet hic poëtae
Dexteram cultus; decet iste cultus
Te, SÀLIZETV̂M genus acre, Divae
Nobile germen;

Sive Lesbois animosa nervis
Musa, praedoni metuenda Gallo,
Liberae cives dare fortia urget
Pectora morti;

Seu comes PAULLO patriis in armis
Barbarum campo premis acer hostem,
Sive per clades tuus, et ruina
Crescis ab ipsa.

Multa te Divae vehat aura! ponat
Dura Fors iras rigidosque vultus,
Et tibi tandem patriaeque miti
Rideat ore;

Seu redux ibis Patriam, labores
Poſt tot et Martis rigidi procellas,
Poſt tot errores maris atque terrae,
Alter Ulyſſes;

Sive tu diris miſeram catenis
Virginem Cyrnon ſolüiſſe, forti
Enſe vel laeſi meritas pudoris
Sumere poenas.

Tuque, natorum miſerata caſus,
Diva, da priſcas reparare fractis
Civibus vires, et in arma, in arma,
Coge Britannos.

[illegible]LIZETVM patriae ruinis
[illegible]tum, Dea, nunc ſecundo
E[illegible]LLO mare trans Britannum
[illegible]ne redde.

Tu

Tu reduc PAULLO comitem, cruentis
Hoſtibus ſidus grave, tu ſalutis
Omen hunc feſſis patriae vocantis
Surgere rebus.

Audior! denſum Deus, en! Futuro
Detrahit velum, gravidosque fati
Exitus urget, domitoque vati
Ora reſolvit!

Barbare, infeſſas tibi fraude terras,
Galle, mox juſto domitus tenebis
Marte: poſt tantas recidiva ſtrages,
Cyrne, reſurges!

Libera, et rurſus tua, Cyrne, ſurges.
Quanta tempeſtas truculenta noctem,
Adſpicis, Cauro properante, dextro
Volvat ab orbe?

Quanta Tyrrheno gravis igne moles
Incubat! quantum tremit unda! q
Preſſa convulſi tonitru profundi
Ira remugit!

Ecce divulſos rapit acre nimbos
Fulmen! inſanis natat, ecce! Cyrnos
Imbribus; peſtem tibi, dire, peſtem,
Galle, minantur!

Inde prorumpens, Jovis inſtar alti,
Igne veſanum rapido Mimanta
Frangere accenſi, ruit, en! protervum
PAVLLVS in hoſtem:

Inde prorumpens comes ipſe in hoſtem
It SALIZETI metuendus armis
Impetus, vitam patriae dediſſe
Prodigus uni.

Cedite infames famuli, ſuperbi
Aſſeclae regis timidi; Viriſque
Linquere armatis properate terras,
Fraude ſubactas!

[illegible] tetigere turpe,
[illegible]tum, cruor amne vaſto,
[illegible] actus urbes
[illegible]trat, et agros!

Io,

Ecce! quid Legi famulata virtus,
Ecce! Libertas quid amata posſint,
Diſcit ignavus trepida fateri
Strage ſatelles!

At Dolor caecus rigidis ſuperbam
Verſalin flagris terit, et ſuſurro
Choiseli immitis Jocus aſper acri
Tecta pererrat.

Ite felices, quibus iſta Martis
Contigit laurus, patriaeque preſſae
Ora reſcisſis datur enſe diris
Solvere frenis!

O mihi veſtras comitare turmas
Si foret, juxta ſubiiſſe Martem
Liberum, et Corſis data vincla juſto
Rumpere ferro,

Qua lues belli medias cater[illegible] mine
Dulcis optato populatur [illegible]e dur[illegible]
Quam juvet Franci gladium [illegible]
Sanguine paſci!

Quam velim fracti titulo tyranni
Laetus et ſtratis alacer catervis
Incubans, famam ſimul atque mortem
Enſe mereri!

Iſta mors veri decet arma civis,
Haec et heröum; tulit haec avorum
Vota; per tales petiit tumultus
KLEISTIVS aſtra.

Sin mihi tantam cupido negabunt
Fata mercedem, ſupereſſe donent
Spiritu Martem referente Corſas
Dicere laurus.

FRAG-

FRAGMENTVM.

SECVLARIA

VICTORIAE ET

CHATHAME

PRIL 1772.

Insculpta coelo glori
Heroas; anni cetera, salvo
Aulaeque, sceptroqu
*Excidium sua dixi*ibus,

SARBIEVIVS.

Jam laeta claro Gloria fulgure
Evolvit acti turbine seculi
Lucem revectam, quam Batavi
Mnemosyne titulis triumphi

Distinxit. O quis unica liberum
Duxisse, cives, gloria spiritum,
Batonis alti sanguis, ausi
Ad proavas caluisse laudes,

Adeste votis! arma negantib mine
Ingesta Belgis, juraque foed re dur
Mavortis evolvam poëta
Legitimi, repetita ferro

Rheni: ſecundus ſic ego Lesbio
Intacta Famae regna per alite
Invector oblitum nepotem
In patrias revocare lauros;

. ta mors veri dece Muſa paventium
Haec et heröum; lora jugalium,
Vota; per tales OESANO refulgens
KIDELIVM comitatur Orbem,

Si Suiſque Virtus fulget honoribus.
F Ventoſa noſtri Somnia carceris,
Et Torpor elumbis, Metusque,
Et fatui levis Aura Vulgi,

Valete! veſtri criminis innocens
Me mulcet aër; me juvat igneïs
... re campis; me piorum
... procerum ſerenas
... te...et amabiles
...tum... cru...hi luminis
E L L ...
...qua beatum
...amnis orbem!

En

En templa candent aetheris, arduis
Educta late montibus! hic Honor
Augustus aeterno labores
Semideorum adamante figit,

E T

Quis silva lauris maxima for APRIL 1772.
Aeterna condit gaudia, foli
Rigata formosis, comasque ıſtela, falvo
Ambrosias amaranthus ardens luminibus,
ia quondam
Intexit. o quae sidera lucidas
Vincunt columnas! ter mihi nomina
Salvete Majorum! o Laboris,
O Patriae monumenta Laudis,

Quae nuda fuci tegmine Veritas,
Et Fas severum, Divaque, compedis
Ignara, discrevê.e puris
Aetherei facibus zmaragdi; .ustas

Ardensque nimbo desuper.t carmine
Adfulgurantis Gloria siderre dur
Coronat; aeternoque ror
Innumero radiata Soli

Juventa tinxit; Famaque, pectoris
Impar, recurvo credita pervicax
Luctatur [illegible] reddidisse
Atto[illegible] [illegible]neranda seclis!

[illegible]ta mors veri dece Mu[illegible]
Haec et heröum [illegible]lora j[illegible]
Vota; per tales [illegible]
K[illegible]DELI[illegible]

Si[illegible]

[illegible]

[illegible] te[illegible] et a[illegible]
[illegible]tum[illegible] cru[illegible]
E[illegible]LL[illegible]
[illegible]qu[illegible]
a[illegible]

ELE-

ELEGIA
IN OBITVM
JANI HELVETII,
DEFVNCTI A. D. 22. APRIL 1772.

Felix sorte tua nuper, Pater Amstela, salvo
HELVETIO, et magnis aemule fluminibus,
Augustum nunc conde caput, tua gloria quondam
Inclyta, Taenario gurgite mersa jacet.
Ille tuus vates, per quem domus utraque Phoebi,
Quaeque rigent gelidis proxima regna polis,
Jam nomen didicere tuum, didicere Batavûm,
Factaque, victuris condita carminibus:
Ille fuit, qui, si meritis placanda fuisses,
Lassaret digitos nunc quoque, Parca, tuos.
Nunc, ubi non puduit, qualem vix cana vetustas
Ostendit terris, fila secare viri;
Et, modo qui rigidas mollisset carmine
Haud potuit vestram flectere dur
Parce precor fasso, tua crimi
Sollicitor Superos credere pos

Cernis ut indigno trepidantia numina leto
  Per vaga Parnaſi culmina luctus agat;
Mnemoſyne ut, jam nec fastos nec tempora curans,
  Vellet Lethaeis delituisſe vadis;
Cynthius ut, roſeas demens de fronte corollas,
  Luridus Oceani tinguat in ima facem.
Ipſa Venus tundens pectus miſeranda, mariti
  Funere non tantum luxit in Asſyrii.
Quid tamen haec proſunt? num te minus invida noſtris,
  Optime JANE, bonis, Styx inimica tenet?
Quo tibi nunc pietas, quo rara modestia, quove
  Innocuo ſemper pectore culta fides?
Candida nil virtus, prodest nihil alta minantis
  Ignea vis animi, magna nec auſa tui,
Nil labor inpenſus ſtudiis, nil te tua plectro
  Carmina mortali vix imitanda juvant.
Carmina Naturae manibus, non culta priorum
  Floribus, artificis ſumma tenentis opus.
Qualia credibile est Phrygios ſonuisſe per agros,
  [illegible] Clariis ſtructa fuere modis:
[illegible]tum, [illegible]
  E[illegible] L L[illegible]riti novus incola Olympi,
[illegible]qu[illegible]c quoque ab ore chori.

Car-

Carminibus ſed ſurda bonis, ſed ſurda querelis
  Stat non flectendi janua nigra Dei.
Heroas quis nunc animas, quis nomina Pindo
  Sacra, Maronea tollet in astra tuba?
In Patriae quondam Proceres pudibunda tyranni
  Digna quis aeternâ crimina labe notet?
Quisve tuos celebret, generoſa Batavia, Brutos,
  Pectora non domini nata ſubire jugum?
Non iterum, velut ante, ſuum miratus alumnum
  Ya Pater tardis lenior ibit aquis:
Non iterum cineres HELVETI Muſa ſodales
  Pegaſeis posthac moeſta rigabit aquis:
Non Amor Idaliam cinctus, ſua gaudia, myrtum,
  Cantabit caſtos, hac praeeunte, toros.
Illa dies, oculos quae preſſit morte natantes,
  JANE, tuos, tecum quot bona, quanta, rapit!
Illa dedit latae feralia ſigna ruinae,
  Ominaque in luctus nata, Batave, tuos:
Omina, quae celerem neglectae viſa Minervae
  Finibus a nostris praemonuiſſe f[illegible]
Nec Batavos tamen unus a[illegible]
  Qua patet, haec facies, [illegible]

Testis erit Rhodanusque tumens, rapidusque Garumna,
  Sequanaque, immenſum qua videt urbis opus:
Et tu Caeſareo diademate nobilis, et tu,
  Rhene ferox, Patriae noxa decusque meae:
Et vos, Eridani fontes, luxistis ademtum,
  Et tu, vitiferis, Arne beate, jugis.
Audiit et ſtupuit dominis Tiberinus in undis,
  Et moestum lacrimis intumuisſe ferunt.
At, miſerande, tuos, Tameſis, quo pectine fletus,
  Quove canam gemitus, quo tua damna querar?
Talis eras, patria quondam minitante ruinam,
  Quum Britonum raperent pestis et ignis opes.
Tales ſollicito jactabas pectore curas,
  Ibat et in tumidum vix tua limpha ſalum,
Ostia quum Batavi Rutupinaque litora circum
  Undique flammifera detonuere rate,
Et tua perruptis Ruteri fulmina vinclis
  Torrerent gelido pallida roſtra metu;
Pars imos [illegible]tiere lacus, pars usta favillis,
  [illegible]tum, [illegible] alta poli.
[illegible] E L L [illegible]stra gementem
  [illegible]nere vulnus habes.

a

E[illegible]

En jacet ille, tuas culto qui carmine laudes
Latius, Oceani quam patet unda, tulit.
Non negat hoc Hurona ferox, factusque Tapuyae
Incola Agenoreae mollior arte lyrae:
Ultima nec proprios ſpernens California cantus
Nec Canada, in numeros juſſa venire novos.
Una dies, (miſerum!) tantos nunc ſuſtulit auſus!
Heu! fugit celeri gloria tanta pede!
Raptus es, infelix juvenis, viridantibus annis,
Et tumulus, qui te, gaudia noſtra tenet.
Sic modo firmatis haerens radicibus ilex
Flore cadit medio, fulmine tacta Jovis.
Scilicet id nigro ſignavit Parca lapillo,
Poſſit ut egregii nil ſupereſſe diu.
Sed tamen hoc melius, pecoris quam more ſilentis
Vidiſſes Pylios ſi ſine laude dies.
Ah! pereat, leti quisquis formidine mollem
Maluerit vitam, lentaque vota, ſequi.
Non ſic Hyrtacides, non Lariſſaeus Achilles,
Nec cui bis ſeni vix labor un
Quis Nemeſin, vel quis
Si tuus in tecto conſen

At nunc durat opus, Muſae laus ſumma Latinae,
  Supplevitque annos, culte Tibulle, tuos.
Et tamen ille brevis fruſtra vixisſe putatur,
  Gloria cui longum nomen habere dedit.
Qui te olim puerum cenſet cecidisſe, caducos,
  Douza, nihil praeter ſupputat ille dies.
Julia adhuc blando vivet cantata Secundo,
  Quum nulla Haganos obteget arbor agros.
Tu quoque, ſi Patriae decus extendisſe Camoenis,
  Jane, quid eſt, civem ſeque probasſe bonum,
Si quid Erechtheas pectus coluisſe per artes,
  Et ſibi Romanas conciliasſe deas;
Si quid id eſt, tenero tenuisſe fideliter aevo
  Quicquid manſuris conditur hiſtoriis;
Vives, et meritis ſuperans fata aſpera, victum,
  Effugies, leto vana minante, rogum.
Audiat haec livor, ſuetas ſe vertat ad artes,
  Dentibus innocui rodat et osſa viri:
At pia p[illegible]eritas vatum par nobile junget
  [illegible] ſuum, Virgiliumque ſuum,
[illegible]tum, [illegible]
  [illegible] E L L [illegible] tura, quotannis,
[illegible]rida ſerta tuum;

Serta

Serta feret, Claria ſemper viridantia lauru,

Et repetet festo terque quaterque ſono:

„ Quod fuerat mortale, jacet, mens enthea coelum

„ Incolit, et Superis nunc quoque grata canit.

MATTHIAS TEMMINCK.

D. M.

JANI HELVETII.

HELVETII Manes, et nobilis Vmbra Poëtae,

Vmbra, per Elyſias jam ſpatiata domos;

Ecquid amicorum ſuperat poſt funera cura?

Quique manet nobis, et tibi perſtat amor?

Nam modo te legimus; modo ſuſpiramus ademtum;

Aſſiduoque tuum nomen in ore ſonat;

Et tua certatim lacrymisque fidelibus oſſa

Spargimus, Aöniis et tua buſta roſis.

Certe ego, ſi pietas pro divite munere grata eſt,

Annua ſolenni carmine ſacra feram;

Qualiter Aſcanius puerilibus ibat in armis,

Cum pius exſtincto duceret agmen avo

Sed fortunato, dum te lugem

Tu noſtri ignarus forte

Hic, poſt vexatum tibi mi

Sperata exſultas poſſe quiete

Dulciaque ingratae potanti oblivia lucis
  Lethaeus large proluit ora latex;
Sublimesque animas, meliores praeſtat amicos,
  Quae numeros, vallis, claudit amoena pios.
Hic Virtus tandem felix, haud proſpera Culpa eſt,
  Nec nocet Ingeniis Fors, rudibusque favet.
Hic manus, agnovit cives quos Patria fidos,
  Hic dignum Ortygio corda locuta Deo;
Gloriaque inventis quis venit ab artibus, et qui
  Officiis multos demeruere ſuis.
Te colit hic veterum, te vatum turba novorum,
  Pulcrior accubitu turba futura tuo;
Et facunda tibi committit plectra Propertii,
  Et Mytilenaea ſueta tonare chely.
Porrigit optatas venienti HINLOPIVS ulnas,
  Complexu vatis perfruiturque ſui;
Raptus et in teneris dulcis meus HOOFTIVS annis,
  Quicum unâ illuſtris fama ſepulta domus.
His [illegible] IANE, comes vivisque incognita ducit
  [illegible] invidet Vmbra bonis.
[illegible] ...tum [illegible]
E . . . L L [illegible] amarae taedia vitae
  [illegible] ...lere Morte poteſt?

SANTENIVS.

In Officina PETRI PLUYGERS praeter alia proſtant:

Claudiani Civilis Phalaecium in Calumniatorem Nominis Batavi Anonymum.

Ad Patriam in Funere *Gulielmi Crullii* Epigramma.

In Effigiem Coſ. Amſtelaed. *Egberti Temminkii* epigramma.

—— —— *Joachimi Rendorp*, & *in Effigiem Salomonis Dedel* epigrammata.

T. H. ten Noever Diſſertationes Publicae Varii Argumenti, ad eloquentiam Sacram, Studiorum rationem ac Jurisprudentiam naturalem maxime Spectantis, editae in uſum Academicae Juventutis, 8vo.

Hiſtoria unitariorum in Tranſylvania, inde a prima illorum origine ad recentiora usque tempora ex monumentis Authenticis Concin[...] per *Petrum Bod*, 8vo.

Brevi Prodibunt,

A. J. Arnoldi Obſervatione[...]
ticae ad quaedam loca I[...]
nis, ex Germanico ſermone [...]

Quicum ...

His ... IANE, co...

...tum, ... invi...

E LL ...

...

Quercun

His IANE,

tum,

E LL

5